


SVMMA
THEOLOGIAE
CHRISTIANAE.

SCRIPSIT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS
DE AMMON, *D.*
THEOLOGVS DRESDENSIS.

EDITIO QVARTA, PERPETVIS CVRIS CASTIGATA ET AVCTA.

LIPSIAE,
IMPENSIS HARTKNOCHII.
1830.

EDITIONIS QVARTAE
PRAEFATIO.

Si verum est, sua fata habere libellos, negari etiam vix poterit, sortem eorum cum vitis auctorum earumque vicissitudinibus lege quadam atque ratione connecti. Nolo itaque praefari nouae editioni huius summae, iam quartum repetitae adsiduisque studiis expolitae [1]), quin eorum, quae in noua hacce religionis institutione aetatem ferre

1) Noui, qui accesserunt, paragraphi sunt: 2. *de partitione religionis*; 14—19. *theoria reuelationis*: §. 20. *de vaticiniis Messianis*: §. 26. *consectaria doctrinae de miraculis*: 30. *de traditione*: 36. *de rationalismo*: 37. *de supernaturalismo in uniuersum*: 41. *de mysticismo*: 42—47. *theologiae dogmaticae historia breuissima*: 57. *de attributis Dei in uniuersum*: 70 ss. doctrina de trinitate ubique aucta et ad simplicitatem s. s. reuocata est: 95. *de diabolo*: 102. *vera primi peccati indoles*: 108. *de conseruatione*: 109. *de concursu*: 128. vera loci *de duabus in Christo naturis* summa: *de suppliciis impiorum post fata*. Noui subinde excursus de peccato, iustificatione, baptismo, sacra coena et ecclesia in obseruationibus occurrent.

posse, atque vicissim aliorum, quae successu temporis mihi patibilia et dissolubilia esse videbantur, rationem redderem lectoribus ex ipsa vitae meae decursu atque indole depromtam. Etenim quum iuuenis admodum vacauissem cathedrariae interpretationi scriptorum antiquitatis tum profanorum, tum sacrorum in literarum uniuersitate Erlangensi, cui Deus faueat; statim adgressus sum ad deriuandam ex ipsis fontibus sacris *theologiam biblicam*, in altera editione amplificatam et locupletatam [2]), ut dicta prophetarum atque apostolorum, quae in dogmatica disciplina probantium nomine atque titulo ornantur, vera atque idonea a dubiis atque ambiguis seiungerem. Neque poenitet me huius consilii, si ab iis discesseris, quae in vita Iesu Christi eiusque miraculis illustrandis hinc inde per iuuenilem coniectandi feruorem atque licentiam effusa sunt; qui enim grammaticae, historicae et criticae interpretationis leges unice sequuntur, isti facile etiam intelligent, vaticinia, quae Messiana adpellantur, et omnia fere antiquae legis scripta ita excitari in libris Christianorum sacris, ut non tam sensu literali, vel allegorico, sed

2) *Biblische Theologie.* Erlangen 1792. 2 Theile. Zweite, verbesserte Ausgabe. Ebendas. 1801. 3 Theile.

ideali, morali, spirituali, adeoque vere diuino in Iesum, Dei filium, conueniant. Opus igitur esse videtur hac nostra aetate institutionis hermeneuticae fundamento neque grammatico, neque critico et dialectico, sed ideali et euangelico, ut fidei Christianae doctrina, minutiarum Pharisaicarum satura atque farragine contemta, in nouam eamque virilem cognitionis Christi aetatem succrescere queat. Eiusmodi studiis curisque occupatus auditoribus praeiui disciplinam dogmaticam duce *Henkio* atque *Moro*, viris inter nostrates longe doctissimis, nunc dudum ad purioris lucis sedes aethereas euectis; deinde adhuc adolescens in academiam Gottingensem, cuius memoria nunquam mente gratissima excidet, euocatus doctrinam eandem ita tradidi tironibus, ut ei nouam formam induerem [3]) a philosophia *Kantiana*, quae tunc vel maxime gliscebat, non quidem alienam, a primariis tamen religionis Christianae fundamentis suspensam et ad normam eorum modeste exornatam [4]). Etenim per occasionem muneris eccle-

---

3) *Entwurf einer wissenschaftlich-praktischen Theologie.* Göttingen, bei Vandenhoek. 1797.

4) Cftr. §. 47. *von der unmittelbaren Offenbarung:* §. 77. *vom Sohne Gottes:* §. 182. *von der Sündenvergebung:* §. 212. *vom innern Worte Gottes:* §. 241. *von der Gegenwart Christi im Abendmahle.*

siastici simul mihi demandati facile perspexi, mere philosophicam de rebus sacris concionandi solertiam auditoribus vel sagacissimis adeo non placuisse atque suffiecisse, ut inuiti potius euangelicae institutionis sitim ac desiderium proderent atque significarent. Quare per opportunitatem praelectionum ethicarum identidem oblatam rationis practicae, quam beatus *Kantius* unicum fidei religiosae fundamentnm esse putauerat, naturam ita persecutus, ut eam pari iure voluntatem idealem nuncupari posse intelligerem, nolui longius mihi placere in scholastica rationis sanae partitione et diuisione, sed ad unius veritatis, tum fidei, tum officii regulam sanctissimam eamque unicam reuersus primam huius summae theologicae speciem delineaui [5]). Nolo tamen dissimulare, post vindicatam etiam doctrinae Christianae de regno Dei aeterno atque coelesti auctoritatem atque dignitatem humana ratione longe superiorem, animum meum philosophiae criticae principiis adeo imbutum fuisse et cum maxime adhuc tinctum esse, ut neque idealismi dogmatici, quem *Fichtius*, vir acutissimus, aliquamdiu propugnauerat, ne-

5) Prima lucem vidit Gottingae apud Dieterichium 1803. Etiam teutonice reddita, Gottingae apud Dieterichium 1804.

que philosophiae plasticae, quae *Ioniorum* et *Spinozae* placita recoxit, patrocinium suscipere voluissem atque potuissem; quare redux in patriam Franconicam utrique disciplinae in sacra institutione occurrendum esse putaui [6]). Neque hoc etiam a me impetrare potui, ut eodem tempore cum iis tesseram permutarem, qui in rebus ad salutem aeternam pertinentibus rationi suae unice confidere sibique solis sapere videbantur, tristem potius inde ecclesiae euangelicae diuisionem nouamque mysticae superstitionis impotentiam e longinquo ominatus [7]). Neque minuit sollicitudinem migratio Dresdensis, qua munus beati *Reinhardi* morte acerba destitutum occupare debui; immortalis enim antecessor confessionibus suis homileticis signum dederat pugnae iam tum per alios tumultus bellicos inter defensores fidei reuelatae atque naturalis exardescentis. Noua enim, quam ingressus eram, prouincia non artibus dialecticis,

---

6) *Ausführlicher Unterricht in der christl. Glaubenslehre.* B. I. 2 Abtheilungen. Nürnberg, bei Monath und Kussler 1807. *Summa theol. christ. Ed. altera.* Erlangae apud Braeuning. 1809.

7) *Anleitung zur christl. Kanzelberedtsamkeit.* 2te Ausg. Nürnb. b. Campe 1812. Vorr. *Neues krit. Iournal der theol. Literatur.* Nürnb. 1812. B. I. St. 3 s. Cftr. noua editio libri: *Histoire des sectes religieuses* par *Gregoire.* Paris 1828. t. I. p. 21 ss.

sed moderata et vero stabili rerum academicarum et ecclesiasticarum cura administrari debebat; neque diffiteor, collegam *Tittmannum*, virum egregium, iam ante hos decem annos ad coelites auocatum, mira fidei suae simplicitate atque puritate germanae theologiae amorem, quo *Melanchthonis*, *Gerhardi* atque *Moshemii* exemplo flagraueram, de nouo mihi commendauisse. Quare libris ecclesiae nostrae symbolicis, deinde locis *Philippi* atque *Chemnitii* iterum perlectis haud dubitaui, in adornanda tertia huius summae editione [8]) ea iure postliminii vindicare corpori doctrinae, quae temere neque sine fidei atque pietatis euangelicae detrimento inde auulsa et vero rescissa fuisse videbantur. Moderata autem, tranquilla et a partium odiis aliena studia inuidiam conflabant homini in contraria nunquam currenti; clamabant nonnulli me, relictis Musarum sedibus inclytis, in miseram quandam tenebrionum atque Iesuitarum synagogam discessisse; parum abfuit, quin nouum huius libri editorem a sana ratione et fide desciuisse per leuitatis et superbiae ludibrium iudicarent. Videant nunc,

---

8) Lipsiae apud Hartknochium 1816. *Magazin für christl. Prediger.* B. I—VI. Hannover u. Leipzig 1816 ss.

quibus luminis vis nondum exesa est, utrum caligo suauiter advesperascens loci morbus sit, vel temporis; me quidem, nullius arbitrio mancipatum hucusque saluum fuisse atque incolumem, non tam glorior, quam tacite et in sinu laetor; neque defuturos esse puto viros doctos probosque, qui continui laboris atque studii vestigia vel in recentissima huius opusculi recognitione deprehendant.

Ne tamen iis antiqua nouis miscuisse et per saturam obtulisse videamur, iam paucis exponemus de legibus atque normis, quibus in formanda huius institutionis sacrae compage usi sumus. Ponimus itaque, verae atque perfectae religionis, quae optima simul adeoque unica adpellari queat, naturam ita esse comparatam, ut non nisi *duobus elementis* constare atque perfici queat. *Primum* est rationale, vel formale, quo idea intelligentiae supremae ita imprimitur ingenio hominis, ut menti et conscientiae eius imperet primamque numinis praesensionem gignat eiusque imaginem quasi animo sistat. Primariae autem rationis ideae non solum insunt prima stamina veri, officii atque fidei, sed Deus ipse sine ea ne cogitari quidem potest; quare plane coecutiunt, qui hominem, ut religioni aptior esset, pleno atque perfecto rationis exercitio usuque interdicere conantur. Nos quidem

Platonem veneramur tanquam rationis alumnum atque filium, neque in disciplina qualicunque doctrinam admittimus tanquam veram, nisi formae rationis nostrae apta sit atque idonea [9]). Monendum est tamen, ratione nostra non contineri plenam rerum cognitionem, sed extremas solum uniuersi delineationes atque formas; deinde obnubilata est imaginationis praestigiis cupiditatumque fraudibus, atque sua quemuis experientia docet, eam a tenuibus initiis profectam sensim excoli, ut sub vitae finem demum ad quandam maturitatem perueniat; multo minus autem prouocari potest ad rationem quandam totius generis uniuersalem; unusquisque enim sibi sapit, non aliis, vetusque error atque superstitio quavis fere aetate in orbem continuum redire solet. Quam maxime itaque indiget religio humana *altero elemento*, eoque materiali, hoc est ipsius Dei reuelatione atque manifestatione, qua idea numinis a superstitione purgetur, excolatur atque animetur, ut ad totam mentem penetrare eamque ad pium Dei cultum excitare possit. Haec reuelatio siue *externa* est, siue *interna*. *Externa* iterum diuiditur in *naturalem* et *historicam*. Naturalis in operibus Dei conspicua sapientiae et cognitionis quidem plenis-

9) Infra §. 16 ss.

sima est; docent tamen Iudaeorum atque gentilium religiones, quam parum valeat atque sufficiat ingeniis hominum illustrandis, nisi animi peccati labe contaminati atque obscurati ad pariorem antea lucem emerserint. *Historicam* Dei manifestationem describit auctor epistolae ad Hebraeos tanquam multiplicem et multifariam institutionem hominum diuinam; quare absonum est, scripturaeque pariter ac rationi contrarium, librorum sacrorum collectioni qualicunque, tanquam codici Caesareo repetitae praelectionis, aequalem et vero irreuocabilem sancti spiritus auctoritatem praetexere. Profuere tamen viri a Deo instincti hominibus aetate supparibus docendo et viuendo; sine exemplis enim parum prodest doctrina, neque mentem numinis unquam adsecutus esse putari potest homo impurus atque impius; quid quod ne rectam quidem Dei sanctissimi ideam concipimus, nisi introspexerimus in mentes hominum virtutibus illustres sacroque spiritui, tanquam templa, dedicatas. Quare ultimo loco Deus locutus esse dicitur hominibus per Christum, non hominem solum longe sapientissimum atque optimum, sed verbi vitalis atque salutaris etiam, a patre ipso progeniti, plenissimum, quem, non tanquam Platonem Iudaicum et rationis filium, sed dilectissimum inter homines, adeoque unicum Dei filium

venerari cogimur. Huius enim doctoris coelestis verique salutis humanae instauratoris beneficio plane incomparabili peruenimus etiam ad interiorem sancti spiritus, vel mentis diuinae societatem, qua *interna* eaque perpetua numinis reuelatio nititur, non hoc consilio, ut, positis semel verae religionis fundamentis, noua identidem cum fanaticis oracula exspectemus, sed ut ad apertos potius summae et optimae veritatis fontes penetremus, in ea confirmemur atque roboremur mentesque nostras ad intimam certissimamque eius cognitionem erigamus. Vtrumque autem verae religionis elementum, quod huiusque descripsimus, duplici modo separari atque diuelli solet a humanis technis atque conclusiunculis. Etenim sunt, qui praeter suam rationem nil mortalibus a numine reuelatum esse statuant et praeter suffitum in capedunculis suis praeparatum nullum Dei cultum ei gratum esse putent. Videant isti, ne, quod omnium seculorum historia docet, in syrtes incredulitatis, vel scopulos deismi atque pantheismi incidant, vel nostra aetate propter dulces Sirenum cantus famosos. Sunt vicissim, qui repudiata sana ratione atque internae reuelationis imperiti et exsortes, historicae manifestationis reliquias, quas misere trahere atque retrahere, extenuare et vere lacerare solent, ita mordicus te-

neant, ut nodum ubique in scirpo et in aridissima literula coelestem veri spiritum quaerant. Isti quidem homines, insana sanctitatis suae persuasione superbaque tenuitatis suae admiratione in transuersum abrepti, non tam *Christi*, *Pauli* atque *Lutheri*, quam *Pharisaeorum*, *Münzeri* atque *Knipperdollingii* vestigia premunt, nouam theocratiam mosaicam, si per eos liceret, in libera Christianorum ecclesia clandestinis sodalitiis blandisque Iesuitarum artibus stabilituri. Vtrumque igitur verae religionis elementum, quod euangelio Christi inest, non solum tenendum atque amplectendum, sed alendum etiam, fouendum et aduersus locutuleios atque errones omnes fortiter defendendum esse putauimus, ne, quamuis ingenii nostrae mediocritatis ingenue et sine superbae humilitatis affectatione memores, in noua huius summae, si probe numeraueris, octaua recensione adornanda officio nostro, dum huius lucis usura fruimur, per timorem, mollitiem atque ignauiam defuisse videamur.

Addimus pauca de spiritu gubernatore, qui hac nostra aetate artus et membra corporis doctrinae regere et ad normam vitalem scripturae sacrae, recte et sine praeiudicata opinione explicitae, formare atque compingere debet. Satis notae sunt conflictationes theologorum de die resurrectionis

iudiciique extremi ultimo, quem patres latini sequiores pie et quasi per somnum exspectandum, nostrae aetatis autem viri sagacissimi cum die mortis permutandum et tenore continuo cum altera vita coniungendum esse statuunt. Atque facile est ad intelligendum, hanc sententiam non sanae solum rationi adblandiri omnemque superstitionem Iudaicam atque paganam de statu animarum medio uno ictu profligare, sed eandem etiam dictis Christi atque apostolorum bene multis, quid quod luculentis piissimorum ecclesiae patrum testimoniis confirmari. Docet enim *Cyprianus:* „quanta est dignitas, claudere in momento mortis oculos et aperire eos *statim,* ut videatur Deus et Christus [10]." Monet *Augustinus* de continua piorum in aeterna tabernacula receptione: „quoad animum in paradiso sunt et *viuunt* cum Deo [11]." In litera consolatoria ad clerum Thessalonicensem de morte Icholii iam ad superioris mundi gaudia euecti scribit Ambrosius: „est iam superiorum incola, possessor ciuitatis aeternae, *iam compertas habet ciuitatis coelestis delicias* [12]." Eadem leguntur in *Gregorii Nazian-*

---

10) *De exhortat. martyr. ad Fortunatum*, c. XV.

11) *Quaest. euangel.* p. 38.

12) Opp. ed. Paris. 1615. t. II. pag. 1046 ss. Adde

zeni oratione funebri Basilii Magni et vita Ephraemi a *Gregorio Nysseno* conscripta; in hac enim multus est in exornanda felicitate piae animae, quae euolauit ad sedes coelestes, „ubi sunt patriarcharum populi, prophetarum chori, apostolorum sedes, martyrum *gaudia ad intuendam pulchritudinem aeternam.*" Neque *Lutherus* repudiauit pium defunctorum desiderium, quos, quemadmodum angelos „et sanctos in terris et fortassis *etiam in coelis pro nobis orare* 13)" docet: hoc autem, quomodo cogitari queat sine noua animatione mortuorum eorumque iudicio particulari, nemo sanus facile perspiciet. Ne adspectabilis quidem eiusque uniuersalis resurrectionis atque iudicii extremi solennitas hac fide periclitatur; si enim omnes transfigurantur, antea singuli debent reuiuiscere, suo quisque die extremo, qui unus idemque est coram Deo aeterno omnibusque spatii et temporis legibus plane soluto. Mauult tamen superstitio humana cerimonias forenses, tribunal,

---

tractatum eiusdem *Gregorii* de anima et resurrectione.

13) Artic. p. II. *de inuoc. sanct.* edit. Rechenberg. p. 310 s. Praeiuerat decretum concilii Florentini a. 1439, quo pios post fata statim in coelum peruenire et ad beatum patris coelestis adspectum admitti docebatur.

iudicii adsessores, terribilem tubae sonitum et in Iudaicis istis imaginibus haud sine summa ingenii pinguedine figuratis genuinam euangelii puritatem deprehendere sibi videtur. Huic autem pusillanimitati, quamuis in singulis ferenda sit, quomodo in uniuersum parci queat in tanta aetatis nostrae luce atque cultura, non video. Finge tibi homines, monet *Plato*, ceruicem et crura in antro subterraneo ita deuinctos, ut e tenebris in lucem versi umbras coram obambulare putent, non homines. Si quis eorum protrahetur in lucem, iam ipsos homines intuens, quorum umbras se ante vidisse somniabat; nonne vacillaturus arbitrabitur, veriora esse, quae ante cernebat, quam quae nunc ostendantur [14])? Scilicet ingenio viuitur et fide veritatis, opinionum autem commenta mortis sunt et a die delentur. D. Dresdae, d. 14. April 1830.

---

14) *De republica* l. VII. init.

CONSPE-

CONSPECTVS
HVIVS SVMMAE.

PRAECOGNOSCENDA THEOLOGIAE CHRISTIANAE.

Pag. 170. lin. 11. traditiones: lege *traditione.*

PRAECOGNOSCENDA

THEOLOGIAE CHRISTIANAE.

PRAECOGNOSCENDA
THEOLOGIAE CHRISTIANAE.

PARTICVLA PRIMA

DE

THEOLOGIA IN VNIVERSVM.

§. 1.

Origo religionis et idea.

Nullam gentem fere tam immanem Cyclopibussue similem fuisse, quin vim et naturam diuinam esse arbitraretur, historia omnis aeui testatur [a]), licet philosophi de vera origine huius fidei admodum dissentiant [b]). Intelligimus tamen, hominem, imperio sensuum excusso, persuasionem sibi induere sensim, cum *timendo* (Gen. III, 10.), tum *amando* et *contemplando* (Ps. LXXIII, 25. s. Malach. I, 6.), pendere se a numine quodam, cui venerationem, obedientiam, gratamque mentem debeat. *Religionem* [c]) dicunt istum animi sensum, cuius natura, quam sacrae literae *timorem domini* (Hiob. XXVIII, 28.), *adorationem Dei spiritualem* (Ioh. IV, 24.), *studium integritatis* et *perfectionis in regno coelesti* (Matth. V, 45. s.) et *cultum numinis rationalem* (Rom. XII, 1. s.)

adpellant, auctores autem profani tanquam *perpetuam mentis cum Deo societatem et similitudinem* describunt [d]). Recte igitur docetur, religionem homine dignam esse *conscientiae vinculum, quo cogitando, volendo et agendo numini nos obstrictos esse sentiamus;* hoc est, *consensum animi cum voluntate numinis recte cognita* [e]).

a) *Homeri* Od. IX, 275 sq. *Cicer.* quaest. Tusc. I, 13. *Meiners allgem. kritische Geschichte der Religionen.* Hannover 1806. I, 11 sq. *Daubs Einleitung in das Studium der christl. Dogmatik aus dem Standpuncte der Religion.* Heidelberg 1810. p. 146 ff.

b) *Parkeri* disputatt. de Deo et prouidentia diuina. Londini 1678. diss. I, sect. 27., qui liber princeps est aduersus Hobbesium et Spinozam, Lucretii (lib. II. init.) sectatores. *Cudworth* syst. intellect. ed. Moshem. c. V. sect. I. §. 34 sq. *Huetii* dem. evang. ed. 3. Paris. 1680. p. 88 sq. *Städlins Ideen zur Kritik des christl. Systems.* Goett. 1791. p. 4 sq.

c) Vocem non a *relegendo* (Cic. nat. D. II. 28.), vel *relinquendo* (*Gellius* N. A. IV, 9.). sed *religando* (*Lactant.* instit. IV, 28.), vel *religendo* (*Augustin.* de ciu. D. X, 4.) descendere, ipsa religionis notio docet. Oriuntur tamen a stipite communi *religare* et *religere*, quemadmodum *suspicere*, *suspicare* et *suspicari*, unde *suspicio* nascitur forma simillima. Vid. *Varro* de lingua lat. lib. V. ed. Bip. p. 69. et *Vossius* in etymologico linguae latinae. Amstelod. 1672. p. 431.

d) Ἐξομοίωσις τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. *Plato* in Theaeteto. pag. 122. ed. Bip. *Antonin* de se ipso. lib. X. §. 8.

e) Vid. comment. noster: *Ausführlicher Unterricht in der christl. Glaubenslehre.* Nürnb. 1807. I, 11 sq. *Clodius Grundriss der allgemeinen Religionslehre.* Leipzig 1808. p. 1 sq. *Schellings philos. Schriften.* Landshut 1808. Th. I, p. 477 ff. *Koeppens Philosophie des Christenthums.* Leipz. 1813. Th. I, pag. 18 s. *De Wette über Religion und Theologie.* Berlin 1815. p. 19 f. *Der christliche Glaube von Schleiermacher.* Bd. I. Berlin 1822. p. 73 sq. *Lehrbuch der evangel. Dogmatik von Hase.* Stuttgart 1826. p. 2 sq.

§. 2.

Religionis partitio.

Turbata est autem et intercepta sanctissima ista mentis nostrae cum numine societas mira *religionum diuersitate* euangelii luce dirimenda atque tollenda (Ioh. X, 16. Act. XVII, 30. s.). Distinguit enim sana ratio 1. religionem *universalem, particularem* et *indiuiduam:* 2. *veram, falsam et mixtam;* 3. *reuelatam et a nobis excogitatam* (Coloss. II, 18.), *diuinam et daemonicam* (1 Timoth. IV, 1.), *externam atque internam:* 4. *cogitabilem, existentem et necessariam.* Docent vero Christus et Paulus, dissentiones istas de rebus diuinis et offensiones inde oriundas *necessarias* esse (Matth. XVIII, 7. 1 Cor. XI, 19.) lege huius varietatis quidem physi-

ca, sine tamen atque consilio morali, quare manifesti etiam erroris patrocinium poenis diuinis obnoxium esse dicitur (Rom. I, 18. s. 27. 2 Petr. III, 17. 1 Ioh. IV, 6.).

Augustini de vera religione liber unus: *Lactantius* de falsa religione, in institutt. diu. libro I. *Cramer Vorlesungen über die christl. Dogmatik mit Zusätzen von Naebe.* Leipzig 1829. p. 4 sq.

§. 3.

Nexus cum theologia.

Omni tamen caritura esset religio fundamento, nisi niteretur *theologia*, quae a nonnullis religioni miscetur, ab aliis autem *doctam et philosophicam religionis doctrinam* designare putatur [a]). Nobis vero, qui sensum certum vocabulo substernere cupimus, obiectiue sumta est *doctrina de Deo, relato ad mundum et ad homines in specie;* subiectiue cogitata, *cognitio huius doctrinae* [b]). Differt itaque theologia a religione neque habitu quodam et facultate docendi: neque subtilitate quadam expositionis, quae vtrique communis esse potest; sed reciprocatione fidei et cultus, cognitionis et officii. *Religio* enim, quae non nisi in creatura rationali locum habet, hominem pietate coniungit cum Deo; *theologia* autem, quae vel in numine cogitari potest (1 Cor. II, 11.), Deum adducit in cognitionem hominis (Act. XVII, 23.) et religionem comitem habet, tanquam mater

filiam [c]). Qui aliter statuunt, videant, ne Deum ipsum religione obstringant, vel vtrumque Dei amorem (1 Ioh. IV, 19.) ad religionem trahant, vel religionem imperitia theologiae gigni posse existiment.

a) Vide *Gerhardum* locc. theol. prooemio: *Episcopii* institutt. theol. l. I. c. 2. *Reinhards Vorlesungen über die Dogmatik*, *herausg. von Berger.* 2te Ausg. Nürnb. 1806. S. 14 ss.

b) Vestigia huius discriminis non solum in libris sacris iam occurrunt (Matth. XXVIII, 19. 20. Act. XXIII, 14. 2 Timoth. II, 19.), sed differentia ipsa a nobis constituta etiam etymo vocis *theologia*, et linguae vsu, tum profano (vid. *Diogenes Laert.* lib. I. c. XI. §. 8.), tum ecclesiastico et recentiori confirmatur. De *illo* post Suicerum (thes. eccl. v. θεολογία) vide *Eusebium* (de eccles. theol. l. I. praep. euang. l. II. et III.), *Augustinum* (de ciu. D. VIII, 1.), *Gregorium* Nazianzenum (orat. 34.) *Curcellaeum* opusc. theolog. Amstelod. 1675. p. 1. De *hoc* autem cfrtr. *Mellin* (*encyklopäd. Wörterbuch der krit. Philos.* B. V. p. 519 ss.), *Daub* (theologumena Heidelb. 1806. pag. 15.), *Clodius* (*Grundriss der allgem. RL.* p. 16.) et *Koeppen* (*Darstellung des Wesens d. Philosophie.* Nürnb. 1810. p. 181.). Theologiam doceri posse sine religione, adeoque religionem theologiae obiectum nullo modo esse, res ipsa loquitur; docemus enim hoc libro theologiam, et non religionem. Religio autem, sine theologia nulla est, quia cultus numinis e cognitione eius, tanquam fonte fluere debet. - Adstipulantur *Kant in den Vorlesungen über die philosophische Religionslehre.* Leipzig

1817. p. 4 et 8. et *Schirmer im Versuche einer wissenschaftlichen Würdigung des Supernaturalismus und Rationalismus*. Leipz. 1818. p. 99.

c) Turbatus et adulteratus est verus et genuinus vocis significatus ab eo inde tempore, quo θεολόγου nomine is demum insigniebatur, qui diuinam Iesu Christi naturam docte ab aduersariorum oppugnationibus vindicare studuisset. Cf. Platonism. *d. Kirchenväter, übers. v. Löffler*, Züllichau 1792. p. 243. *Rosenmülleri* libellus: *de theologiae Christianae origine*. Lips. 1786. et *C. C. Tittmanni* opuscula theologica. Lips. 1803. *de discrimine theologiae et religionis*. p. 539 ss. Pari ratione extra ecclesiam christianam theologi nomen sortiti sunt, qui θεογονίας condere solebant (*Ammianus Marcellinus* l. XIV. c. 11.). Neque absonum esset, nostra aetate adhuc *Melanchthonem*, *Chemnitium* et *Gerhardum* vocari religionis doctores. Post separatam autem *Calixti* diligentia pietatis et fidei doctrinam re ipsa stabilitum est manifestum religionis et theologiae discrimen, in scholis saltem nova aequivocatione non amplius turbandum.

§. 4.

Praestantia theologiae.

Theologia inter humanas disciplinas omnes primum sine dubio sibi vindicat locum, tum ratione *dignitatis*, quia ad summas notiones euehit animum humanum; tum ratione *ambitus*, quia immensum terrae coelique orbem ceu aeternum numinis regnum luce sua amplectitur et illustrat[a]);

tum ratione *vtilitatis*, quia ad remotissima veri et boni adyta penetrat, ideoque purae sapientiae et virtutis semina in humano pectore fouet atque excitat (Iob. XXVIII, 28. Sirac. I, 1. 16.); tum denique et ipsius *amoenitatis* ratione habita, quia mentem humanam ad coelestia emergentem (2 Petr. I, 4.) egregiis meditationibus sensisque pascit (Psalm. XIX, 11.) et inter summas calamitates fiducia et spe laetissima recreat (Psalm. LXXIII, 26.) Discant itaque bona sua iusta lance ponderare scientiae diuinae alumni, tenentes probe, nullam disciplinam cum sana ratione magis conuenire tutioremque ad felicitatem puram sternere viam, doctrina de Deo et religione, quam sibi excolendam et in imas medullas conuertendam sumit theologus [b]).

a) Formulam *regni Dei*, qua coelestis doctrinae auctor (Ioh. I, 1.) saepissime vsus est, eo, quem *ipse* verbis substrauit, sensu, non externam eamque Messianam, sed internam portendere conuersionem animorum, qua veri cognitione et perfectione spirituali, per hanc autem sempiterna felicitate potituri essent, me quidem iudice, dubitatione caret (vid. Matth. IV, 17. Luc. XVII, 21.). Eodem tendunt, quae Stoici de mundo, communi hominum et numinis ciuitate (*Cicero* fin. III, 19.), et de *sacro uniuersi vinculo* (σύνδεσις ἱερὰ, *Antonin.* de se ipso lib. VII. §. 9.), seu veritate a numine proueniente philosophati sunt. Conf. *Fleck* de regno diuino. Lipsiae 1829.

b) *Spalding, die Religion eine Angelegenheit des Menschen.* ed. 2. Leipzig 1798. S. 116 ss.

§. 5.

Difficultates studii theologici.

Dissimulari interim nequit, studium diuinae scientiae multis, iisque haud facile superandis, laborare difficultatibus. Postulat enim ratione *subiecti* non eximiam solum ingenii foecunditatem, sagacitatem et solertiam, sed mentem etiam puram, sanctam et cupiditatum illecebris non offuscatam (1 Tim. I, 19.), vt ad coelestia emergere eaqué firma fide amplecti et tenere queat [a]. Accedit, respectu habito ad *fontes*, rationis humanae, tanto campo emetiendo fere imparis, imbecillitas (1 Cor. XIII, 12.), librorum autem sacrorum omnis generis multitudo, ambiguitas, obscuritas et argumentum varium, cui excutiendo et plane digerendo praeclarum iudicium et multiplex eruditio vix suffecerint. Quae omnia superantur adhuc inenarrabili *obiecti* sublimitate et numinis perfectione spirituali (Ioh. XI, 7—9.), quae, aut humanis concepta imaginibus, superstitioni et somniis dogmaticis facile viam sternit; aut anthropomorphismi vinculis liberata et in notiones, quas puras esse volunt, resoluta, captum humanum haud raro excedit, in formulas cassas et inanes extenuatur, et meditationis abusu incredulitatem ipsam fouet et excitat [b]. Debet itaque omnino curari atque prospici, vt his tantisque impedimentis laeta ingenii εὐφυΐα, morum innocentia, diligentiae pertinacia, meditandi perseuerantia, do-

cendi prudentia obiiciantur; quo facto sperare licet, fore, *vt instructus fiat theologus, cuiuis operi bono idoneus* (2 Timoth. III, 17.) [c]). Coelestis enim sapientia eodem loco incipit, quo humana cessat et desinit.

a) *Nihil ad percipiendam veritatem magis impedit, quam vita libidinibus dedita et falsae imagines rerum sensibilium, quae nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressae varias opiniones erroresque generant. Augustinus* de vera religione. c. III. Conf. *Clodii allgem. Religionsl.* p. 149 f. *Daub Einleit.* p. 112.

b) *Antropomorphismus* dicitur *ea cogitandi ratio, qua Deus concipitur instar hominis.* Diuiditur in *dogmaticum*, vel materialem, quo humana indoles proprie transfertur ad Deum; et in *psychologicum*, vel formalem, quo Deus a nobis in vniuersum humana ratione cogitatur. Illum damnauit ecclesia Christiana in Audianis (admodum inuito *Luthero:* comm. in Genes. opp. ed. Walch. t. III.); hunc nemo damnabit, nisi qui humanam naturam ante exuerit. Quidni igitur fateamur, religionem Christianam, quae ceterum diuina et maxime rationalis est, hac nota *anthropomorphismi puri* imprimis differre a naturali? Vide, quae hac de re monuimus in praefatione libri: *Handbuch der Anleitung zur Kanzelberedsamkeit.* Nürnberg 1827. ed. 3.

c) *Episcopii* institutt. theol. l. I. c. 1. *Buddei* isagoge ad theologiam vniuersam. Lips. 1730. p. 29 s.

§. 6.

Divisio theologiae.

Differt autem theologia ratione *fontis*, *argumenti* et *methodi*. Ratione *fontis* theologia omnis est siue *rationalis*, vel naturalis, quae iterum diuiditur in *puram* (ontotheologiam) et *empiricam* (physicotheologiam); siue *historica*, vel positiua, quae auctoritatem quandam externam pro norma habet, cum *diuinam* (reuelata), tum *humanam* (symbolica). Ratione *argumenti* est *theoretica*, quam et dogmaticam vocant [a]), et *practica*, siue moralis; est *biblica* et *historica*; normam ecclesiasticam *sequens* (*orthodoxa*), et ab illa *recedens* (*heterodoxa*) [b]). Ratione *methodi* est *systematica*, quam in *theticam*, *criticam* et *scepticam* partiuntur, et *popularis*, quam longo errore religionem adpellare solebant. Nos quidem in hac *theologiae christianae institutione* ordinem sequemur criticum, vt biblicis fundamentis symbolica doctrina superstruatur, addita nostri temporis censura idonea [c]).

a) Nulla ars contemplatiua, monente *Seneca* (epist. 95.) sine decretis suis est, quae Graeci δόγματα adpellauere. In N. T. sententiae et scita apostolorum (Act. XVI, 4.) et apud *Origenem* et *Basilium* M. doctrinae Christianae audiunt *dogmata*. Primum huius scientiae periculum seculi Vti est et auctorem praefert *Gennadium Massiliensem de ecclesiasticis dogmatibus* (Hamburgi 1614). *Kantius* (Critik der reinen Vernunft. p. 764.) propo-

sitiones apodicticas omnes diuidit in *dogmata* (directsynthetische Sätze aus Begriffen) et *mathemata.* Quae omnia docent abunde, dogmata cum opinionibus et commentis misceri non debere, neque theologiae dogmaticae nomen ita vanum et irritum esse, vti nonnullis videtur. Cf. *Stange's* Symmikta. I, 156 ss.

b) In libris sacris ישׁר, ὀρθόν, *recti*, *veri* (Psalm. XLV, 7. Hebr. XII, 13.), עקשׁ, σκολιόν (Ies. XL, 4. XLII, 16. Phil. II, 15.), *tortuosi*, *falsi*, praui notionem innoluit. Inde formulae, ὀρθοτομεῖν λόγον ἀληθείας, *recte tradere religionem* (2 Tim. II, 15.; ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, *recte incedere secundum praecepta euangelii* (Gal. II, 14.), quae plane respondent τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ (1 Timoth. I, 10.), vel *orthodoxiae euangelicae.* Apud patres ecclesiae (v. c. in dialogis *Theodoreti*) ὁ ὀρθόδοξος opponitur τῷ κακοδόξῳ, idemque est ac ὁ ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων ἀγωνιζόμενος. Theologi *orthodoxi* gloriam dogmatici vindicant ei, qui publicis ecclesiae suae symbolis conuenienter sentit; philosophi contra veri amico et scrutatori felici. Debemus itaque distinguere inter ὀρθοδοξίαν *biblicam*, *ecelesiasticam*, vel *symbolicam*, et *philosophicam*, si iudicare placeat de iis, quibus in doctrinis fidei δοκεῖ ἑτέρως. Nouitas certe, quam veteres inter insignes haereseos notas referebant (v. c. *Vincentius Lerinensis* commonit. ad gentes c. IX. et XXV.), Luthero fraudi non fuit; gloriatur enim vel Iosephus (contra Apion. II, 41.) de antiquitate religionis Iudaicae aeternum duraturae, ipsique adeoque gentiles reprehenderunt Constantinum M., quasi ad nouam doctrinam conuersum (τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπέντα. *Zosimi* hist. nou. l. IV. c. 36.). *Hete-*

rodoxia autem, cui semen veri haud raro inest (*B. Beckeri* v. c. et *Semleri*), successu temporis abire potest in *orthodoxiam*, proptereaque differt *ab haeresi* (Act. XXIV, 14.), quae errorem pertinaciter propugnat eumque partium studiis inuoluit. Cf. *Aufhellungen der neueren Gottesgelehrten in der christlichen Glaubenslehre.* Leipzig 1807. B. I. p. 434 ss. et *Pauli* commentatt. theolog. Ienae 1793. p. 18. cum *Flattii* libro: Magazin für Dogmatik und Moral. Tübing. 1796. St. I. p. 137 sq.

c) Cf. *Tzschirneri* comment. *de rite distinguendis doctrinae dogmaticae formis.* Viteberg. 1808. *Daubs Einleitung in das Studium der christlichen Dogmatik.* Heidelberg 1810. p. 177 ss. *De Wette* bibl. Dogmatik des A. und N. T. Berlin 1813. p. 19 ss. Idem *über Religion und Theologie.* Berl. 1815. p. 136 ss. *Bretschneiders Handbuch der Dogmatik.* B. I. Lips. 1828. p. 32 ss. *Wegscheideri* institutt. theolog. christ. dogmat. Halae 1815. §. 31.

PARTICVLA SECVNDA

DE

THEOLOGIA RATIONALI ET REVELATA.

---

§. 7.

Vtilitas theologiae rationalis.

Scientiae diuinae studium profundius a theologia rationali, cum pura, tum empirica, repe-

tendum esse, argumentis sat grauibus contenditur, *Primum* enim, antequam coelesti cuidam oraculo fidem habeamus, omnino credendum est, numinis nullo sensu percipiendi ideam inesse mentibus nostris (Act. XVII, 27. Ephes. IV, 6.) [a]). *Deinde* libri sacri cognitionem Dei naturalem, tum externam (Psalm. CXIX, 89. Rom. I, 19. sq.), tum internam (Ierem. XXXI, 33. Hebr. VIII, 10. Rom. X, 6—8.) summis laudibus extollunt. Patet *praeterea* ex ipsa rei natura et aliarum disciplinarum (v. c. iuris) analogia, cognitionem positiuam qualemcunque, ceu specialem, singularem, interuallis et lacunis distinctam, pendere a notionibus vniuersis, vel rationalibus, ideoque nullam theologiam reuelatam peritis probari et ab iis explorari posse, nisi ad ipsam mentis humanae naturam, ceu ad lapidem Lydium, exigatur (Ioh. VII, 17.) [b]). *Neque* negabunt, qui forte in scripta lege acquieuerint, haud pauca ad religionem spectantia in sacris libris omitti, vel breuissime delineari [c]). Quapropter dolendum est grauissime, theologiae naturalis studium a multis negligi, imo contemni atque despici [d]). Etenim sacra sunt omnia veri principia, neque proprie cogitari potest sapiens ordo rerum qualiscunque, nisi a Deo constitutus.

a) Conf. librum nostrum; *biblische Theologie*, t. I. p. 73 sq. edit. sec. *Sintenis Elpizon.* Dritte Aufl. B. I. p. 18 ss.

b) De Platonicis adserit ipse *Augustinus*, eos *paucis mutatis verbis et sententiis Christianos fieri*

posse (de vera religione. cap. V.). Quidni pronuntiemus idem de philosophia quauis hoc nomine digna! Vide locum egregium *Iacobi* in libro: *Von den göttlichen Dingen und ihrer Offenbarung.* Leipzig 1811. p. 55.

c) *Brünings* de silentio scripturae sacrae. Francof. ad Moenum 1750.

d) Paulus Lystrae et Athenis (Act. XIV, 16 ss. XVII, 24 ss.) in eo est, vt theologiae naturalis fundamento religionis Christianae doctrinam superstruat; *Chemnitius* (loc. theol. c. I, 5.) hortatur theologos, *vt amplissimum naturae librum diligenter euoluant;* et in iuris positiui disciplina parum profuturus est, qui iurisprudentiae naturalis praecepta neglexerit (*geschriebene Rechte halte man unter der Vernunft, aus der sie gequollen sind, als aus dem Rechtsbrunnen:* Lutherus opp. ed. W. t. X. p. 479.). Iusta lance itaque ponderari debent, quae ad commendandum theologiae vere naturalis studium post *Buddeum* (isagoge ad theol. vniuers. Lips. 1730. p. 249.) *Kant* monet in praefatione libri: *Die Religion innerhalb der Grenzen der blofsen Vernunft.* Königsb. 1793. fine; deinde *Daub* (Einleit. in das Stud. der Dogm. p. 153.) et *Schelling* (philosoph. Schriften. Landshut 1809. t. I. p. 511. *die Natur enthält Vorbilder, die noch kein Mensch gedeutet hat*).

§. 8.

Theologia positiua Christianorum.

Quum autem, *rationi ac diuinitati obsequi* [a]), paucissimis datum sit, consuluit inter nos proui-

dentia imbecillitati plurimorum per viros Iudaeos eosque sapientes, qui suis hominum aetate supparium institutionibus diuinis coelestem etiam praetexere auctoritatem non dubitauerunt. Antiquitas enim, quo propius aberat ab ortu et progenie divina, hoc melius quae vera erant, cernebat [b]). Horum virorum itaque libri, *foederis antiqui et noui* [c]) postea nomine insigniti (Exod. XXIV, 8. Sir. XXIV, 52. 2 Cor. III, 14. Hebr. IX, 15. Matth. XXVI, 28.), fidem et doctrinam publicam in ecclesia Christianorum sensim regere coeperunt, quia vtriusque collectionis argumentum ab auctoribus ipsis *ad numinis consensum et voluntatem referri* (Ioh. V, 46. 2 Tim. III, 15 sq. 2 Petr. I, 20 sq. 2 Cor. I, 10. Ephes. III, 5. Ioh. XVI, 13.) [d]), iisque reuera a Deo suppeditatum esse inuictis argumentis statuitur.

a) Τό ἕπεσθαι τῷ λόγῳ καὶ τῷ θεῷ. *Antonin.* de se ipso l. XII. § 31. Sententia *Platonis* est: ἀλλ' οὐδ' ἂν διδάξειν, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγεῖτο. Epinom. opp. ed. Bip. t. IX. p. 269.

b) *Ciceronis* verba in quaest. Tuscul. I, 12. Neque aliter *Scaliger:* „primus philosophus non accepit a naturali, Deum esse." De subtilitate ad Cardanum. Francofurti 1612. p. 27.

c) Non *testamenti*, vt *Lactantius* ait, inst. IV, 20. Iam *Augustinus* praefert nomen *veteris* et *noui instrumenti* (ad Bonifac. III, 4.). Cf. tamen *Iablonskii* opusc. ed. *de Water* Lugd. Batav. 1806. t. II. p. 303 ss. *de genuina significatione v.* τῆς διαθήκης *in N. T.*

B

d) Conf. *theol.* nostra *biblica* ed. 2. tom. II. p. 36 sq. *Hauffs Briefe über den Werth schriftlicher Religionsurkunden, als solcher.* B. I. und II. Stuttgardt 1809.

§. 9.

Reuelationis notio biblica.

Adfirmant nimirum auctores sacri, suam rerum diuinarum cognitionem a numine ipso originem trahere, et hanc communicationem veritatis coelestis *reuelationem*, vel manifestationem adpellant rei antea incognitae (Matth. XI, 25. 1 Cor. II, 10. φανέρωσιν Rom. I, 19 sq.). Prouocant in huius rei fidem ad varios patefactionis diuinae modos (Num. XII, 6—8. Hebr. I, 1.); *tum* ad reuelationem *naturalem* (Psalm. XIX, 1 sq. Rom. I, 19 sq.), et *spiritualem* (Ies. XLII, 1. Sap. IX, 17. Matth. X, 20. 1 Cor. II, 10.), vel rationalem; *tum* ad *conuersationes cum Deo* (Gen. III, 8—10. Exod. III, 2 sq. XIX, 20.) et *angelis* (Act. VII, 53. X, 3 sq.); ad *somnia* (Gen. XXVIII, 12. Matth. I, 20.), *Vrim* et *Tummim* (Exod. XXVIII, 30. Num. XXVII, 21.) [a]) et *ecstases* (Ies. VI, 1 sq. Ierem. XIII, 4 sq. Act. X, 9 sq. 2 Cor. XII, 2—4.) [b]); ad *voces coelestes* (Matth III, 17. Act. IX, 4 sq.) et *instinctum singularem* (1 Sam. X, 10. Ioh. XI. 51. Act. II, 4. 2 Tim. III, 16. 2 Petr. I, 21.), quem postea *inspirationis*, h. e. adflatus diuini, vel ἐνθουσιασμοῦ nomine celebrarunt [c]). Neque tamen silentio premi debet, au-

ctores sacros non omnibus, quae effati sunt, vel scripsere, auctoritatem diuinam praeferre, sed nonnulla (1 Cor. VII, 12.) ceu humana suômet ipsorum iudicio et arbitrio vindicare d).

a) Vide post *Witsii*, *Braunii* et *Michaelis* hac de re dissertationes b *Bauers Beschreibung der gottesdienstl. Verfassung der Hebräer.* Leipz. 1806. B. II. p. 329 ss. Signum *veritatis* et *integritatis* fuisse summo pontifici ceu ἀρχιδικαστῇ appensum, vix dubites collato loco plane simili apud *Diodorum Sicul.* (B. H. l. I. c. 48 et 75.).

b) Conf. in antecessum (*Fundgruben des Orients.* Wien 1809. B. I. p. 155.) locum Sunnae de ecstasibus Muhamedis et festiuam nocturni huius vatis in coelum itineris descriptionem e Sunna et Corano haustam (Vie de Mahomet par *Gagnier.* Amsterdam 1732. t. I. p. 195 s.). Neque praetereundus est *Hieronymus*, propter Ciceronem vapulans, in epist. ad Eustochium XXII. Opp. t. I. p. 94. ed. Francofurt. 1684.

c) De iusto inter varias reuelationis rationes (Hebr. I, 1.) discrimine statuendo iam cogitauere *Eusebius* (praep. euangel. l. XII. c. 22.), *Maimonides* מורה נבוכים p. II. c. 45. (qui vndecim reuelationis gradus distinguit, et omne prophetarum commercium coeleste ad somnia et ecstases reuocat: בחלום או במראה הנבואה ibid. c. 41.) et *Episcopius* instit. theol. l. II. cap. 1.

d) Obseruari debet, ne iusto plus arrogauisse sibi videantur scriptores biblici, iam ex eo inde tempore, quo emanatismi notiones ingenia Iudaica occupauerunt (Ier. XXIII, 24.), spiritum diuinum, siue verbi diuini institutionem, quam vocant im-

mediatam, adfatim Israelitae cuiuis potuisse obtingere. Conf. *Ierem.* XXXI, 33 sq. *Ioel* III, 1 sq. *Sap.* VII. 27 sq. Mirari itaque haud subit, in N. etiam T. sententias et dicta doctorum et vulgi interdum halitu diuino animari et ad eum reuocari. Conf. Matth. XVI, 17. Act. X, 44. 1 Cor. XII, 4 sq. 1 Thessal. IV, 9. 1 Ioh. II, 20. 27. Quidni vatibus, auctoribusque sacris concesserit spiritum suum, qui vita, halitu et intelligentia replet omnia (Act. XVII, 25. Exod. XXVII, 3.)?

§. 10.

Doctrina symbolica et ecclesiastica.

In libris nostris symbolicis *de variis hisce reuelationis* modis plane nihil constitutum est, quamuis Lutherus hinc inde suam, eamque egregiam interposuisset sententiam [a]); multo minus accurate praeceptum est de *inspiratione*, quae propter fanaticorum arrogantiam tunc temporis male audire coeperat [b]). Suppleuit tamen mox, quod deesse videbatur, *sedulitas* doctorum *ecclesiastica* mira sententiarum et commentorum varietate. Exstitere nimirum *dogmatici*, qui *reuelationem* actum Dei vniuersalem adpellarent, quo doctrinas religionis antea incognitas cum scriptoribus sacris communicauisse dicitur; *inspirationem* autem actum specialem, quo conceptionem doctrinarum et scriptionem vniuersam in mente horum auctorum per spiritum sanctum moderatus est [c]). Neque defuere theologi satis clari,

qui in hoc discrimine vel nostris temporibus acquiescerent [d]).

a) „Darum ist diese Weise der Offenbarung, *dadurch Gott mündlich redet und mit dem Glanz seines Lichtes die Herzen erleuchtet*, viel gewisser, denn Träume und Gesichte.“ Opp. edit. *Walch* tom. I. p. 1405. „*Gott sprach*, dass du nicht denkest, als seien es vergängliche Worte, wie wir Menschen sprechen; sondern wisse, *dass es ein ewig Wort sei, das von Ewigkeit gesprochen ist, und immer gesprochen wird, so lange eine Creatur währet.*“ Tom. III. p. 46. „Ich weiss, dass mein Wort und Anfang *nicht aus mir, sondern aus Gott* ist. Tom. XV. p. 2379 s. 2390 s. Cfr. *Aufhellungen* der neueren Gottesgelehrten. B. I. p. 613 ff.

b) *Lutheri* opp. T. XI. p. 2848 sq. *Walch* Einleitung in die Religionsstreitigkeiten d. L. K. P. I. p. 591. 631 sq. Artic. Smalcald. P. III. art. 8. *de confessione.* Ipse *Gerhardus* substitit adhuc in doctrina *de Deo scripturae sacrae causa efficiente*, impugnaturus solummodo *Bellarminum*, qui diserte negauerat, verbum Dei libris N. T. adligatum esse (de verbo Dei. l. IV. c. 4. §. 2.).

c) Conf. *Calouii*, *Quenstedtii*, *Musaei*, *Buddei*, *Hollazii* systemata ad h. l. et commentationes meas theologicas (*Abhandlungen zur Erläuterung der wissenschaftlich-praktischen Theologie.*) part. I. Gottingae 1798. p. 36 sq. Adde *Iablonskium* de θεοπνευστίᾳ N. T. *in rebus historicis:* opusc. ed. I. G. *de Water.* Lugdun. Batau. 1813. t. IV. p. 425 ss. Prae omnibus autem sibi hoc loco constitit *Wessely*, Moseidos auctor, qui, ut omnia V. T. scripta coelitus demissa esse probaret, *lin-*

guam etiam *hebraicam*, eamque solam, *diuinam* esse statuit.

d) Vid. b. *Doederlinii* christlicher Religionsunterricht. Th. II. p. 81. *Seiler* über die göttliche Offenbarung. Erlang. 1796. p. 221 sq. *Storr* doctrinae christ. pars theoretica. Stuttgard 1793. p. 65 sq. deutsch von *Flatt*. Stuttg. 1803. p. 178 s. *Hahn* Lehrbuch des christlichen Glaubens. Leipzig 1828. p. 124 ss.

§. 11.

Sententiae recentiores.

Imminuta tamen est post breue interuallum sententiae huius auctoritas *tum* studiis Syncretistarum et Pietistarum, qui theopneustiae periculum (2 Tim. III, 15. 1 Ioh. IV, 1.) non ab omnibus et singulis libris sacris subiri posse ingenue docuerunt [a]; *tum* interpretum biblicorum eruditione et solertia, qui de authentia, de ἐναντιοφανείαις, de opinionibus temporum et adcommodatione scripturae sacrae ad eas multa liberius disputauerunt [b]; *hinc* commentationibus historicorum, qui aliorum populorum religiones et superstitiones laudabili diligentia excusserunt [c]; *illinc* denique et philosophorum conatibus, qui in adserenda rationis praerogatiua vel in hac doctrina nunquam defessi sunt [d]. Surrexerunt itaque theologi, qui in libris sacris *singula tantum reuelationis documenta* deprehenderent [e]; reuelationem biblicam omnem ad *naturalem* et *media-*

tam, licet alio sensu, quam veteres, reuocarent *f*); quid quod ipsam legationis diuinae notionem ad *infantiam generis humani* ablegarent *g*)..

a) Conf. scripta *Arndii*, *Calixti*, *Speneri*, *Frankii*, *Zinzendorfii*, *Toellneri* al. *Aufhellungen* der neueren Gottesgel. I. 617 ss.

b) *Grotius*, *Clericus*, *Vitringa*, *I. A. Ernesti*, *I. D. Michaelis*, *Semlerus* al.

c) *Vossius* de theologia gentili. Francof. 1668. 4. *Tob. Pfanneri* systema theologiae gentilis purioris. Basil. 1679. 4. Conf. scripta *Meinersii*, *Iselini*, *Herderi*, *Stäudlini* al.

d) *Kant* Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft. p. 233 sq. *Fichte* Kritik aller Offenbarung. Königsb. 1792. ed. 2. 1793. Kritische Theorie der Offenbarung. Halle 1792. *Niethhammer* Versuch einer Begründung des vernunftmäſsigen Offenbarungsglaubens. Leipz. 1798. Kritik der christl. Offenbarung, oder einzig möglicher Standpunct, die Offenbarung zu beurtheilen. Leipz. 1798. *Briefe über den Rationalismus*. Aachen 1813. p. 50 ss.

e) *Ierusalem* Betrachtungen, P. II. von der Offenbarung. Braunschweig 1780. *Lessing* Beiträge zur Geschichte u. Literatur. IV. St. Braunschw. 1777. p. 522 sq. von der Erziehung des Menschengeschlechtes. *Doederlein* christlicher Religionsunterricht. Th. I. p. 93.

f) *Niemeyer* populäre und praktische Theologie. Halle 1799. p. 32 sq. *Eckermanni* compend. theol. Christianae. §. X. *Henkii* lineamenta fidei Christianae. §. XV. *Loeffler*, Magazin für Prediger. Iena 1815. B. VIII. St. I. p. 1 ss. Praeiuerant

Arminiani, inprimis *Grotius*, *Episcopius* et *Curcellaeus*, qui in V. T. reuelationes omnes ad angelos, in N. T. autem ad Iesum Christum, *mediatarum* nomine, reuocauerunt.

g) *Henke* neues Magazin für Exegese etc. Tom. I. p. 433 sq. Ueber Offenbarung und Mythologie. Berlin 1799.

§. 12.

Consectaria critica de reuelatione et inspiratione.

Fatemur autem ingenue, nobis in *placitis hisce recentioribus* nonnulla temere effusa videri, *cum* propter summam constantiam, qua Iesus praesertim suam legationem diuinam sustinuerit (Ioh. V, 23. 30. VII, 16. XII, 44. XVIII, 37.); *tum* propterea, quod institutio diuina mediata et e causis secundariis proficiscens in omni cognitione humana locum habeat et reuelationis notionem propriam non admittat [a]). *Theopneustiae* autem, quotquot supersunt adhuc, *fautoribus* respondetur paucis, inspirationis proprie sic dictae notionem non sine summo incommodo morali ad mentem humanam transferri [b]); auctores sacros instinctum diuinum, quo sibi correpti esse videbantur, ad oracula quidem, sed nunquam ad sermonem pedestrem, multo minus ad scripta retulisse [c]); diuersitatem orationis, fontium (Num. XXI, 14. Ios. X, 13. 1 Chron. XXX, 29. 2 Chron. XII, 15 Luc. I, 3.) et chronologiae (Matth. XXIII, 35.

Luc. II, 2. III, 1. Act. V, 36 sq. VII. tot.) librorum sacrorum testari abunde, auctores eorum saepissime suo arbitrio fuisse relictos; magnamque denique partem eorum, non ab illis, sed ab interpretibus et amanuensibus (Rom. XVI, 22. Coloss. IV, 18. 2 Thess. III, 17.), de quorum adflatu diuino vix constabit, literis traditam esse. Neque etiam defuere, qui satis probabiliter docerent, inspirationem diuinam, Alexandrinis V. T. interpretibus primum temere tributam, praecunte Philone atque Iosepho libris sacris Iudaeorum sine discrimine vindicatam, quid quod postea vel episcopis, qui conciliis oecumenicis interfuissent, adscriptam fuisse [d]). Postremum taceri nequit, indolem canticorum Mosis, Iobi, Dauidis, Salomonis, Ieremiae et aliorum metricam satis humanas artes prodere [e]).

a) *Daub Einleitung.* p. 117 ss. *Briefe über den Rationalismus.* Aachen 1813. p. 19 ss.

b) Θεοπνευστία proprie sumta et ceu ἐπίπνοια τοῦ θεοῦ (Ioseph. contra Apion. I, 6.) cogitata, non solum numinis et mentis humanae naturam *spirabilem* esse innuit (Psalm. CIV, 29 sq.), sed libertatem etiam hominis intellectualem et moralem penitus tollit et auctores sacros mutat in ὄργανα τοῦ θεοῦ ἠχοῦντα, κρουόμενα καὶ πληττόμενα ἀοράτως ὑπ' αὐτοῦ. *Philo*, quis rerum diu. haeres: opp. ed. *Pfeiffer.* tom. IV. p. 116. Neque etiam furor vatum aliter fingitur apud veteres scriptores. Vide descriptionem oraculi Delphici apud *Diodorum Siculum* (l. XVI. c. 26. qui locus princeps est), deinde

adumbrationem θειασμοῦ a *Socrate* (apolog. apud *Platonem* opp. t. I. p. 51. ed. Bip.) et *Iosepho* (antiq. Iud. IV, 6. 5) propositam, et poetarum lusus (*Virgil.* Aeneid. VI, 46 ss. ibique b. *Heyne* *Lucan.* Pharsal V, 161 ss.). Cf. *Herder* Briefe, das Studium der Theologie betreffend, part. I. epist. XII.

c) Num. XI, 25 sq. 1 Sam, X, 10 sq. XIX, 20 sq. Ierem. I, 9. 1 Cor. II, 13. 2 Petr. I, 21.

d) Πνεύματος ἁγίου ἔχοντες δωρεὰν ἐκεῖνοι οἱ ἄνδρες ὁμοφώνησαν ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Epiphanius* de mensuris et ponderibus. §. V. cf. *Cyrilli* Hierosolym. catech. IV. §. 34. *Socrates* H. E. I, 9. *Suiceri* thes. eccles. v. θεοπνευστία. Apud *Minucium Felicem* Octauius aduersus Felicem feliciter disputans *Dei munus eximium habuit et ab eo inspiratus orauit* (c. 41.). *Fuchs Bibl. der Kirchenversammlungen.* Leipzig 1780. Th. I. p. 232. *Eichhorn* Repertorium für bibl. und morgenl. Literatur. t. I. p. 266 sq.

e) *Grevii* tractatus *de numeris Hebraeorum poeticis*, in vltimis capitt. Iobi. part. II. Burgo-Steinfurthii 1791. p. 85 ss. *Bellermann Versuch über die Metrik der Hebräer.* Berlin 1813. p. 103 ss.

§. 13.

Continuatio.

De reliquis autem institutionis diuinae modis tenendum est, adspectum numinis in N. T. diserte repudiari (Ioh. I, 18. 1 Tim. VI, 16.); somnia (Sir. XXXIV, 2.) et visiones etiam falsis prophetis obiici (Ierem. XXIX, 8. XXIII, 16.); voces coelestes autem pauca, eaque tonitruum fragori

inuoluta (Ioh. XII, 29.), elocutas esse [a]). Restat itaque ad vindicandam eorum, quae diuina sunt in libris sacris, originem coelestem reuelatio *naturalis* et *spiritualis* (§. 9.), siue mediata sit et explicabilis, siue immediata et inexplicabilis (1 Cor. II, 10.) [b]); *hac autem diligentius considerata patebit omnino, scriptores biblicos meditationes suas diuinas non sine summa religione ad numinis, de cuius adsensu fide certi erant, voluntatem et auctoritatem retulisse* [c]). In hoc iudicio eo lubentius acquiescimus, quo majori libertate apostolos in hac sententia ferenda vsos fuisse legimus (2 Cor. XII, 6. Gal. II, 6. 1 Thess. IV, 9. 1 Ioh. II, 20 sq.); ea enim est religionis natura in vniuersum, vt, ex ipsis fontibus hausta, coelestem facile originem prodat [d]).

a) Conf. Maimonides de reuelatione prophetarum in *Vitringae* obseru. sacr. tom. II. p. 361. et *theologia* nostra *bibl.* tom. I. p. 58.

b) Deum mentes hominum gubernare, intercedente rationis ministerio, poetae antiquissimi iam perspectum habuere (Odyss. XVIII, 135 s. quem locum *Cicero* interpretatur apud *Augustinum* de ciu. Dei. V, 8.). *Socrates* autem, qui *visa diuina* (δὶ ὄψεως ἐντυχεῖν θείῳ) semper repudiauit, admisit tamen *vocem coelestem* mente pura et perturbationum vacua conceptam: *Plutarchus* de genio Socr. opp. t. VIII. p. 326 s. ed. Reiskii. Inde formulae: θεοῦ φωνὴ, θεὸς κελεύει, τῷ θεῷ πείθομαι, apud *Platonem* apolog. Socr. opp. ed. Bip. I, 69-74. Quas si frustra tentaueris hariolando, quo-

modo Christianae reuelationis originem pandere conaberis!

c) Ἑκάστου νοῦς θεὸς καὶ ἐκεῖθεν ἐῤῥύηκε (*Anton.* XII, 15.), docuere Stoici (*Cicero* de legg. I, 22.). Homerus autem mentionem iniicit vatis, qui, licet αὐτοδίδακτος, carmina sua tamen coelitus sibi indita esse adserit (Odyss. rhap. XXII, v. 347.). Confer in eandem sententiam locos 1 Chron. XXIX, 12 et 19. Act. XVII, 28. Matth. XVI, 17. Act. XV, 22. 2 Cor. XII, 9. 1 Thess. IV, 9. *theol. bibl.* I. 66 sq. et *Eckermann* Handbuch für das systematische Studium der christl. Glaubensl. Altona 1801, Tom. I. p. 423 sq.

d) Vide locum Homeri apud *Plutarchum* consol. ad Apollon. opp. ed. Reiskii. t. VI. p. 397. *Daub* Einleitung. p. 64. *Kants* Vorlesungen über die philosoph. Religionslehre. Leipz. 1817. p. 200 s. *Koeppens* Philosophie des Christenthums. B. I. Leipzig 1813. p. 66 s.

§. 14.

Theoria reuelationis biblica. De manifestatione Dei in universum.

Ne tamen religionis christianae fontes eadem superstitionis caligine inuoluamus, qua Aegyptiorum, Persarum et Indorum libros sacros tectos esse videmus, opus est ante omnia theoria quadam reuelationis ex ipsis oraculis coelestibus deriuata [a]). Ponimus autem *primum*, numen, cuius accessus nemini mortalium patet (Exod. XXXIII, 20. 1 Tim. VI, 16.), sui tamen cognitionem salutiferam impertiuisse homi-

nibus (Psalm. XIX, 20. Act. XIV, 17.). *Deinde* probamus hanc sententiam argumentis ductis ex amore Dei (1 Ioh. IV, 16.), qui nos coelestis veritatis luce priuari haud patitur (Ioh. XVII. 1 Tim. II, 4.); e rerum creatarum uniuersitate, splendidissimo maiestatis diuinae theatro (Ies. XL, 26.); e conscientia recti, omnis virtutis fonte (Rom. II, 14.); et e religionis Iudaicae et Christianae origine diuina (Num. XII, 8. Ioh. I, 18.). Distinguimus *denique* patefactionem numinis, quae omnem mundi visibilis et inuisibilis ordinem complectitur (Coloss. I, 16. Ephes. I, 3 s.), ab eius informatione et *cognitione humana*, quae propter angustos ingenii nostri limites et infinitum veritatis diuinae ambitum (Psalm. CXXXIX, 6. Rom. XI, 33 s.) perfecta esse nequit, adeoque ad finem dierum usque corrigi, augeri et locupletari debet (Rom. XI, 2.) [b]).

a) *Bretschneiders* Handbuch der Dogmatik. Dritte Ausg. Leipzig 1828. B. I. p. 116 ss.

b) Quae igitur *Fichtius* (Kritik aller Offenbarung. Zweite Ausg. Königsberg 1793.) aliique hac de re monuerunt, non ad reuelationem Dei omnibus numeris absolutam, sed ad imperfectam eius cognitionem trahi debent. Cfr. *Bretschneiders* Entwickelung der in der Dogmatik vorkommenden Begriffe. Zweite Ausg. Leipzig 1819. S. 183 s.

§. 15.

Reuelatio Dei uniuersalis, specialis et indiuidua.

Quemadmodum autem actus diuini omnes in mente perfectissima summa unitate deuinciuntur (Act. XVIII.); ita vicissim humanum ingenium sapientissimam mundi gubernationem, cui subest manifestatio, diuidere et sigillatim considerare solet. Distinguunt igitur libri sacri manifestationem Dei *uniuersalem* (Psalm. XIX, 2—5. CXIX, 89. Act. XVII, 27 s. Rom. I, 19.), qua, tanquam in nube transiens (Exod. XXXIII, 18 s.), primam numinis sui cognitionem praeparauit; *specialem*, vel *particularem*, qua legem recti mentibus mortalium inditam (Deuteron. XXX, 14.) Israelitis seruandam credidit (Psalm. LXXXI, 9—11. Rom. III, 2.) eamque per vates amplificauit et illustrauit (Ies. I, 11 ss.); *indiuiduam* denique atque hactenus ultimam (Hebr. I, 1.), qua Iesum Nazarenum tanta sapientia et virtute imbuit (Act. II, 22. Col. II, 3.), ut patrem coelestem non solum unice cognosceret (Matth. XI, 26. Ioh. V, 19 ss.), sed diuinam etiam imaginem eius referret (Ioh. XIV, 9.) adeoque doctrina, vita et factis unicam salutis viam nobis sterneret (Ioh. III, 15. XV, 5 ss. Act. IV, 12. Hebr. XIII, 8.) [a]). Argumentum itaque librorum utriusque foederis ita tractandum erit, ut, duce apostolo (Act. XVII, 23.), a naturali Dei patefactione procedentes legem moralem (Rom. VII,

22.) cum euangelica salutis doctrina (Luc. XXIV, 47.) arctissime coniungamus, et Christi beneficio, qui ubique patri concedit (Ioh. X, 29. XII, 49.), ad unam, certissimam atque viuidissimam numinis cognitionem perueniamus (Ioh. XVII, 23. Ephes. IV, 4—13.) [b]).

a) Ita enim comparata est humana natura, ut, quod euentu comprobauerunt Iudaeorum (Exod. XX, 4.) et gentilium (Act. XVII, 23.) religiones, sine diuini hominis forma et imagine e sensuum caligine vix emergere queat ad puram et viuidam numinis cognitionem. Egregie hac de re exposuit *Anselmus* Cantuarensis duobus libris, *cur Deus homo* in opp. ed. *Gerberon.* Lutet. Paris. 1675. p. 74 ss.

b) *Reinhards* Versuch über den Plan, welchen der Stifter des Christenthums zum Besten der Menschen entwarf. Vierte Ausg. Wittenberg 1798. S. 80 ff.

§. 16.

Reuelatio vera, falsa et mixta.

Alio respectu oracula diuina, vel saltem pro diuinis habita dispescuntur in *vera, falsa* et *mixta.* Reuelatio coelestis non solum ubique *vera* est et esse debet (Psalm. XIX, 8 s. Ioh. VIII, 40. XVII, 17.), sed veri etiam sensum ab auditoribus et lectoribus poscit (Ioh. XVIII, 37.) et duplici nota, *utilitate* ad *doctrinam* et *emendationem* (2 Tim. III, 16.), hoc est argumento numine di-

gno et ad moralem hominis naturam adcommodato differt a superstitiosis et vanis hominum commentis [a]). Opponitur ei reuelatio *falsa*, quae, siue errore, siue fraude mortalium (Matth. XXIV, 24. Act. VIII, 20 s.) diuinae veritatis speciem mentitur stolidisque hominum mentibus obiicitur (Deut. XIII, 1—3. 1 Reg. XXII, 20—23. 1 Ioh. IV, 1 s.), adeoque perpetua vigilantia et diligentia doctorum (2 Cor. IV, 2. 1 Thess. IV, 21.) ex hypocritarum latebris (Rom. X. 2.) in lucem protrahi debet. Medium inter utramque patefactionem numinis locum occupat reuelatio *mixta*, quae mira fidei humanae simplicitate et duplicitate lucem coelestem errorum caligine offuscat (Ezech. XIV, 9. Coloss. II, 4.), a Christo dudum damnata et reiecta (Matth. VII, 15 s. 22 s.)).

a) *Lactantius* de *vera* et *falsa sapientia* in institutt. diu. lib. III. et IV. *Calouius* in systemat. l. th. t. I. p. 281.

b) Extra historiam christianam exempli loco esse possunt oracula Sibyllina (*Lactantius* l. IV. c. 13. ss.) et Muhamedis Coranus bonae frugis plenus, sed Ianus bifrons (Der *Koran* neu übersetzt von Boysen und Wahl. Halle 1828. Einl. p. LXXV. ss.) Christianarum autem rerum memoria in historia critica apocryphorum V. et N. T., deinde oraculorum a patribus ecclesiae, monachis fanaticisque omnis aeui nostri vatibus editorum innummera falsae et mixtae reuelationis monumenta adfert. Quemadmodum enim Lutherus Melanchthonis locos diuino canone dignos esse putauit, ita et nobis videtur, in scriptis *Au-*

gustini, *Bernhardi*, *Lutheri*, ubique diuina humanis adinixta esse (1 Thess. IV, 9.).

§. 17.

Reuelationum, qua naturam, causam, et reciprocationem, diuersitas.

Iterum alia ratione reuelatio, quae talis est, vel habetur, *Deo* est vel *digna*, vel *indigna;* e *causis primis*, vel *secundis oriunda; externa*, vel *interna*. *Deo digna* manifestatio in sacris literis describitur tanquam *perfecta* (Psalm. XIX, 8.), *aeterna* (Matth. XXIV, 35.), *viua* (Hebr. IV, 12.), et *salutaris* (Ioh. I, 17.); numine *indigna* tanquam *vana* et *futilis* (Mich. II, 11.), puta Bileami impostoris (Num. XXII, 7 ss. cfr. XXXI, 8. 16. et 2 Petr. II, 15.), ventriloquae Endorensis (1 Sam. XXVIII, 7 ss.) et Philippensis (Act. XVI, 26 ss.). *E causis primis* deriuatur in sacris libris cognitio numinis a Deo ipso sine medio in mente excitata, adeoque *immediata*, qualis Mosi (Num. XII, 8.), prophetis (Ierem. I, 9.), Christo (Matth. XI, 27. Ioh. V, 19. 30.) et apostolis tribuitur (Ioh. XIV, 26. 1 Cor. II, 10.). Religionis cognitio autem *a causis secundariis* progenita *mediata* et *naturalis* adpellatur (Psalm. XCIV, 9. Act. IX, 10. s. Luc. I, 3.), neque re ipsa a vulgari rerum sacrarum scientia admodum differt [a]). Cognatum est *externae* et *internae* manifestationis discrimen; illius enim sedes in uniuersitate rerum adspectabili

C

generisque humani vicissitudinibus (Act. XIV, 17. XVII, 16.) quaerenda, huius autem domicilium in mentis humanae ordine ideali et morali (Ierem. XXXI, 33. Luc. XVII, 20 s. 2 Cor. III, 3 s. Hebr. VIII, 10.) ponendum est [b]).

a) Ne in loco tot conflictationibus egregiorum theologorum nobilitato indulgere videamur ingenio, vel opinionibus pridem conceptis, monemus *primum* cum *Luthero* et *Calvino:* originem coelestem cognitionis diuinae qualiscunque non nisi ab ipsis auctoribus sacris pandi et aperiri potuisse. Nobis autem, qui discendo et docendo ubique in res medias abripimur, hoc tantum officii datum est, ut veritatem et θεοπρέπειαν christianae institutionis exploremus (Ioh. VIII, 32 s. Rom. XII, 2 s.). *Deinde* facile concedimus, non ea solum, quae deus sacrorum scriptorum mentibus indiderit, nullo negotio nunc separari posse ab iis, quae ipsi cogitauerint, legerint, collegerint, sed magnam etiam utriusque foederis sacri partem e fontibus externis historicisque fluxisse. Contendimus *tamen*, aduersariorum obiectiones et criminationes, quibus *omnem* manifestationem numinis sine medio conuellere student, tum nullius, tum parui certe momenti esse. Volunt enim, omnem cognitionem humanam, adeoque etiam rerum coelestium notitiam acquisitam et *mediatam* esse. Sed ne historiae quidem cognitio est sine teste oculato; religionis autem fundamenta in prima dei idea et conscientia, quam a numine regi luceque sua perfundi posse nemo negabit, unice quaerenda sunt. Deinde monent, nullam esse dei invisibilis cognitionem, nisi *symbolicam* et *reflexam*, propterea que *mediatam*. Proclive tamen est

ad intelligendum, symbolis externis inuisibilem dei naturam nunquam illustrari posse, nisi antecesserit eius cognitio idealis, quae sine medio principii loco habenda est. Addunt praeterea, reuelatione dei immediata *tolli libertatem* animi atque voluntatis coecamque necessitatem introduci. Sed cogitationes omnes, etiam coelitus suppeditatae libertatis formam prae se ferunt nullamque voluntati vim inferunt, nisi moralem (Matth. X, 19. Ioh. V, 30.). Arbitrantur denique, reuelationis immediatae commentum *uberrimum* esse omnis *erroris*, *fraudis* et *superstitionis* fontem. Rectus autem veri usus nunquam abusu veritatis tollitur; nullus enim certae fiduciae superesset locus, nisi deus esset lumen internum mentis et conscientiae (Psalm. XVIII, 29.). Huic defensioni adiungimus *quarto loco* argumenta probantia atque certa. Etenim *omnis* reuelatio *mediata desinere debet in immediatam*, quemadmodum in physicis, historicis et moralibus omnis hominum cognitio secundaria resoluitur in primam. In sacris vero disciplinis nulla sententiae veritas est sine principio, nulla principii sine idea, nulla ideae diuinae, cuius puritas et vitalitas deo soli subest, sine numinis efficacia. *Christianae* porro *religionis* tanta in animis hominum flectendis *vis* est et *potestas*, ut ubique originem vere coelestem prodat, neque sine offensione Christi (Ioh. XIII, 6. 10 s.) et varia commentorum fraude atque temeritate ad humanum arbitrium referri queat (*Twesten* Vorlesungen über die Dogmatik. Zweite Aufl. Hamb. 1829. p. 348 ss.). *Postremum* prophetarum, *Christi* et apostolorum *auctoritas stare nequit* cum reuelatione unice mediata, cuius usuram etiam Platoni, Augustino et Luthero con-

tigisse aduersarii non diffitentur (*Henkii* lineamenta fidei christ. Ed. 2. Helmst. 1795. p, 38.). Vide *Zöllichs* Briefe über den Supernaturalismus. Sondershausen 1821. p. 414 ss. *Knapps* Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre. Halle 1827. t. I. p. 10 s. *Cramers* Vorlesungen über die christl. Dogmatik. Leipzig 1829. p. 29 s.

b) „Das äufsere Gotteswort mufs ein inneres, das innere ein äufseres werden: je klarer ein Mensch sich dessen, was er in sich selbst trägt, bewufst wird, desto tiefer dringt er in den Sinn der heiligen Schrift ein." *Tzschirners* Briefe über Religion und Politik, herausgeg. von *Krug*. Leipzig 1828. p. 79. De discrimine verbi externi et interni alio loco videbimus.

§. 18.

Reuelatio cogitabilis, existens, necessaria.

Vltimo loco diuiditur reuelatio Dei in *cogitabilem*, vel futuram (Ierem. XXXI, 34. Ioel III, 1 s.), *existentem* et praesentem (Exod. XXIV, 8.), denique stabilem, aeternam, *necessariam* (Ies. LIV, 10. Ezech. XXXVII, 26.), non coecis fati, sed invariabilis sapientiae et amoris diuini (Ephes. I, 4.) legibus consentaneam, adeoque omne arbitrium, quo numine nil est indignius (Num. XXIII, 19. Rom. XI, 29.), e decretis coelestibus secludentem [a]). In explorando igitur librorum sacrorum et institutionis ecclesiasticae qualiscunque (1 Ioh. IV, 1.) argumento haec ubique regula tenenda est, ut *universalem, veram, Deo di-*

gnam, *necessariam* et immutabilem reuelationem tanquam unicam fidei et vitae normam sequamur.

a) Aliter *I. A. Ernesti*, qui, posse religionem in quocunque hominum statu *arbitraria* quaedam habere, in formando suae doctrinae corpore principii loco posuerat. Vide *Opusc. eius theolog.* Lipsiae 1793. p. 192 ss.

§. 19.

De vaticiniis in uniuersum.

In tanta autem huius indaginis difficultate *externa* veritatis diuinae *praesidia* circumspex erun religionum doctores, tum e vatum *praesensionibus*, quarum per omnem antiquitatem ad nostra usque tempora maxima semper auctoritas erat [a]), tum e *mirandis* sacrorum virorum *factis* petita. Est autem *vaticinium* futurae rei praesensio euentu comprobata, eaque vel *vulgaris*, e naturali hominum diuinatione oriunda, vel *mirabilis*, hoc est praedictio rei futurae humana facultate nunquam praeuidendae distincta et certa. *Oracula vulgi*, quorum aeuo prisco maxima, vel in sacris literis erat copia (Num. XXII, 6 s. 1 Reg. XXII, 22. 2 Chron. XVII, 13 s. 1 Cor. XIV, 5.), ab ipsis apostolis magni non aestimantur (1 Cor. XIII, 29. XIV, 31. 2 Petr. I, 19. cfr. Matth. XI, 11. Luc. VII, 23.) propter sententiarum ambiguitatem et obscuritatem [b]). *Praedictionum* vero

mirabilium, quas Christus ipse recusat (Matth. XXIV, 36. Act. I, 7.), in utriusque foederis libris *numerus* admodum *exiguus* est (Ierem. XXV, 10. Matth. XX, 18 s. Ioh. XXI, 18 s. Act. XXI, 11 s.), neque negari potest, nonnullas earum euentu hucusque destitui (Ies. II, 2 s. XI, 11 ss. Ioel. III, 3 s.), alias post fortunam conflatas (Daniel IX, 24 s. Tob. XIV, 6 s. Matth. XXIII, 35. Apocal. XVII, 7—12.) [c]), iterum alias magno interpretum arbitrio factis opportunis substratas esse [d]). In uniuersum autem, quomodo *diuinitas doctrinae* cohaereat cum *veritate oraculi* post longum aeui decursum unice probanda, sagacioribus non facile patebit [e]).

a) De *Graecis* vide *Potters* griechische Archaeologie, übersetzt von *Rambach*. Halle 1775. Th. I. p. 591 ss. De *Romanis* praeclare egit *Cicero* de diuin. I, 2 s. II, 3 ss.; de natura Deorum II, 3 s. Cfr. *Meiners* allgem. kritische Geschichte d. Religionen. t. II. p. 603 ss.

b) Iam ante *van Dalium* de oraculorum gentilium ambiguitate conquestus est *Eusebius* in praeparat. euangel. l. V. c. 20 ss.

c) Vide ad primum locum *Eichhorns* Bibliothek der biblischen Literatur. t. V. p. 973.; ad tertium nostra dissertatio in opusc. theolog. nonis. Goetting. 1802. p. 112 ss.; ad quartum *Eichhornii* commentarium in apocalypsin. Goettingae 1791. Et ne externa desint, vide *Liuium*. l. XXV. c. 12. de praelio Cannensi, *Virgilium* Aeneid. l. VI. v. 790 ss. de Augusto Caesare, *Philostratum* in vita *Apollonii Tyanensis*. l. VIII. c. 26. de stupen-

da visione Apellonii Ephesina, *Lactantium* instit. l. IV. c. 15. Sibyllaeque oraculum ibi decerptum de panibus piscibusque a Christo in deserto diribitis, *Gagnier* vie de Mahomet. Amsterdam 1732. t. II. p. 134. de Romanis a Persis debellandis (Corani Suram XXX.), *Hussinetzii* de Luthero (Opp. *Lutheri* ed. Walch. XVI, 2061.) et *Hiltenii* oraculum in ipsis libris nostris symbolicis obuium (*apolog. C. A.* de votis monasticis init.), Lineamenta amplioris hac de re dissertationis duximus in commentatione *de vaticiniis post euentum.* Erlangae 1812.

d) Vaticinia V. T. Messiana ad Vespasianum traxit *Iosephus* (antiq. Iud. VI, 5. 4.); Obadiae et Ieremiae oracula de Luthero interpretatus est *Mathesius* (Historien von Luthers Anfang, Lere, Leben etc. Nürnberg 1573. p. 186*b*. *Pfefferkorns* etlicher Lutheraner gute Urtheile von Luthero. Gotha 1717. p. 8.); *Melanchton* ipse, ad praesagitiones procliuis, somnium de Timotheo post cladem Mühlbergensem ad Iohannis Friderici sortem adcommodauisse videtur (Camerarii vita Melanchthonis ed. *Strobel*. Halae 1777. p. 77.).

e) *Lefs* Wahrheit der christl. Religion, edit. VI. p. 472 ss. Ej. praktische Dogmatik. Ed. 2. p. 391. Die Weissagung und ihre Erfüllung aus der heil. Schrift von *Seiler*. Erlangen 1794. *Crusii* hypomnemata ad theologiam propheticam. P. I. Lips. 1764. p. 23 ss.

§. 20.

De vaticiniis Messianis.

Ne tamen hoc loco admodum scopuloso siue iudicii licentia, siue inveterata superstitione in transversum abripiamur, notandum est, quamplurima inueniri in V. T. *vaticinia Messiana* de futuro quodam Iudaeorum principe e Dauidis stirpe oriundo, regnique ciuilis instauratore (Psalm. II, 7 s. Ies. XI, 1 ss.), quibus, in communi eius per totam Iudaeam (Ioh. VI, 15. Act. I, 6.) et fere orientem exspectatione, Christus solus magna circumspectione (Matth. XVI, 13 s.), sensu tamen subliniori atque morali (Ioh. XVIII, 36.) satisfecerit [a]). Quare haec oracula in N. T. fere *nunquam sensu literali* et grammatico, sed *spirituali*, more Iudaeis eius etatis consueto (Rom. X, 15. 18. Gal. IV, 24 s.), *excitantur*, ita, ut vel post primum euentum (Gen. XXXV, 19. Ierem. XXXI, 15.) ad nouum et secundum trahantur (Matth. II, 17.), vel sensus verborum plane mutetur et inflectatur (Ies. XI, 1. Matth. II, 25. Ies. LXI, 1 — 4. Luc. IV, 18 s.), vel ex oratione vatis contexta singulae tantum dictiones decerpantur (Matth. XXVIII, 9. Zachar. XI, 14.), vaticinia ipsa autem non e fontibus Hebraicis, sed e versione Alexandrina graeca deriuentur (Act. II, 25 s.) [b]). Argumentantur itaque sacri scriptores N. T. non *e verbis prophetae* cuiusdam, vel sensu iis ab auctore indito (2 Petr. I, 20 s. Ioh. XI, 51.), sed e *praeuisione* Dei *ae-*

terna (Act. XVIII, 18.) sensuque *diuino* oraculorum *euentu comprobato* c), hoc est *e mira Dei sapientia*, qua omnem V. T. oeconomiam (Rom. X, 4. Gal. III, 23 s.) ad Christum, eius doctrinam, facta et fata, et per haec omnia ad salutem generis humani direxerit (Rom. XI, 33 ss.). In tam multiplici oraculorum Messianorum interpretatione ingeniorumque lusu pio nostra aetate usus vaticiniorum non tam *dogmaticus*, qui ambiguus est, quam *teleologicus* commendandus esse videtur. Sic enim certis argumentis monemur, rudiores vatum Hebraeorum de regno principis Iudaeorum futuro praesensiones sapientissimo Dei consilio et moderamine in Christo eventum oraculorum omni generi humano saluberrimum habuisse.

a) Vide librum nostrum: *biblische Theologie.* B. II. Zweite Ausg. Erlangen 1801. *Gesenius* im Commentar über den Iesaias. Leipzig 1821. Th. I. Abth. 1. p. 418 ss.

b) Graecae versionis V. T., si a synagoga Alexandrinorum discesseris (Act. VI, 9.), Hierosolymis nullum tempore Christi usum fuisse, e Talmude satis constat. Petrus itaque in oratione solemni (Act. II, 25 s.) Dauidis oraculum (Psalm. XVI, 10 s.) non graece, sed hebraice excitare poterat. Patet igitur vel ex hoc loco, aliter Iesum et apostolos, aliter auctores librorum N. T. hellenisticos oraculis prophetarum usos esse.

c) Distinguunt ubique *sensum vatis* et *sensum a Deo intentum*, *Iahnio* monente (in Appendice ad Hermeneuticam. Viennae 1813. p. 100.). Praelu-

serat huic sententiae *Schoettgenius* in brevibus positionibus de Cabbala (hor. Hebr. et Talmud. Dresdae 1742. t. II. p. 44 ss.). Totus autem locus de usu Cabbalae exegeticae in recta N. T. et oraculorum in eo excitatorum interpretatione huc usque nondum plane ad liquidum constitutus est.

§. 21.

De miraculis: doctrina biblica.

Praeter vaticinia prouocauerunt auctores sacri ad *miracula*, seu *facta inexplicabilia*, *quae admirationem excitare solent spectatoribus.* Hebraeis nimirum idem est מופת, פלא, נפלא, נס, נאדר, אות,. quod Graecis est θαῦμα, θαυμάσιον, σημεῖον, τέρας, τεκμήριον, παράδοξον, et a Romanis [a]) *ostentum*, *prodigium*, *portentum*, *miraculum*, *mirabile* vocatur, a patribus ecclesiae autem tanquam *sacramentum*, *vel mysterium visibile* celebratur. Hic vero linguae vsus adeo constans est in libris V. et N. T., vt praestigiatoribus etiam falsisque prophetis vim, miracula patrandi, tribuant (Exod. VII, 11 sq. Deut. XIII, 2 sq. [b]). Matth. VII, 22. XII, 27. XXIV, 24 sq. 2 Thess. II. 9.) [c]). Eiusmodi miracula in vniuersum fiunt a Deo, omni aetate et tempore (Iob. V. 9. Psalm. XL, 6. LXXXIX, 6. CXXXIX, 14. Ioel, III, 3. Sirac. XVII, 2—5. XLIII, 2—31.); in specie tamen numine propitio facinora mirabilia patrata esse memorantur a Mose (Ex. III, 20 sq.), Iosua (Ios. III, 15.), Simsone (Iud. XV, 19.), Elia

(1 Reg. XVII, 10 sq.), Iesu et apostolis (Act. II, 22. 43.) hunc in finem, *vt fidem adderent dictis et diuinam sermonum auctoritatem factis confirmarent* (1 Reg. XVII, 24. Ioh. V, 20. 36. X, 25. 37 sq.).

a) „Multa, quae unde manauerint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est: *miracula* vocantur," *Valerii Maximi* dict. factor. l. l. c. 8.

b) Quae loca omnia occasionem praebent agendi de miraculis Ethnicorum, in specie de miraculis *Vespasiani* (secundum *Tacitum* hist. IV, 81. et *Suetonium* Vespas. c. 7.) et *Hadriani* (secundum Ael. *Spartianum* c. XXIV.). Confer et *Lactantium* institutt. lib. II. e. 7 sq. *Witsium* de miraculis Christi, in meletematibus Leidensibus. Basil. 1739. p. 272 ss. Neque in vniuersum h. l. negligendus *Meiners* l. c. II, 573 ss. 653 ss.

c) Locus memorabilis, *qui proprie miracula a doctrina, non doctrinam a miraculis pendere*, facile probat. Vide librum: Biblische Theologie des N. T. B. I. Leipzig 1800. p. 182 ss.

§. 22.

Doctrina ecclesiastica ad Lutherum vsque.

De veritate horum miraculorum adeo non dubitatum est in ecclesia primi et medii aeui [a]), vt viri potius sancti adhuc, promissione Iesu Christi freti (Matth. XVII, 20. Ioh. XIV, 12.), iisdem et maioribus adhuc factis mirabilibus se pares et idoneos esse putarent, et ad seculum vsque sextum

et septimum prodigia sua annalibus referenda traderent [b]). Egregie itaque docet *Augustinus: Deum in miraculis nihil contra naturam facere; insolita nobis contra naturam esse videri, non Deo, qui naturam fecerit* [c]). Cui sententiae ipse *Lutherus*, tantum abfuit, vt refragaretur, vt miracula non solum etiamnum fieri posse traderet, sed, euentus etiam naturae mirabiles traditionum prodigiis minoribus longe praeferendos esse, ingenue doceret [d]). Intelligitur tamen facile, tanta latitudine veri miraculi notionem ad liquidum constitui non posse [e]).

a) Extat, vt fidem faciamus dicto, libellus *Gregorii* Nysseni *de vita et miraculis Gregorii Thaumaturgi*, quem ipse *Basilius M.* adhuc apostolis parem (ὀυχὶ θήσομεν αὐτὸν μετὰ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν; *de ſ°. ſ°.* c. 29.) esse iudicat. *Athanasius* in vita *Antonii* miracula eius recenset plane apostolica (opp. ed. Colon. 1686. t. II. p, 484 ss.), quemadmodum *Fortunatus* in vita *Hilarii* Pictauiensis (opp. *Hilarii* ed. Paris. 1693. praef. p. 136 ss.), de quorum veritate in Britannia superiori adhuc seculo orta est controuersia, nondum plane sopita.

b) Conferatur *Irenaeus* (adv. haeres. lib. II. c. 57.), qui vera miracula vindicat ecclesiae catholicae: *Eusebius* (inst. eccles. lib. V. c. 7.) et relatio eius de morte Polycarpi: *Origenes* (contra Celsum l. III. ed. Spenceri. p. 124.) multos se *vidisse* ait, mente alienatos, insanos aliosque innumeros (μυρίους) aegrotos inuocatione Dei et Iesu sanatos: *Augustinus* (de ciuitate Dei lib. XXII. c. 8.), quo

loco plura monet de miraculis, quibus interfuerit: *Theodoretus* (H. E. I, 7.) de episcopis concilii Nicaeni dono apostolico conspicuis (ἀποστολικοῖς χαρίσμασι διαπρέποντες), praesertim Iacobo Nisibeno, qui mortuos vitae restituisse dicitur (νεκροὺς ἀνέστησε); *Aneas Gazaeus*, auctor elegantis dialogi, nomine *Theophrasti*, quo tradit, se *vidisse* et *audivisse* Constantinopoli tres sacerdotes Africanos, qui linguis in persecutione Vandalica (a. 484.) excisis locuti essent; *Gregorius* M. (dialogor. lib. II. c. 5-31.), quo loco de miraculis agit patrum Italicorum; et, vt finem faciamus, *Bernhardus Clarevallensis*, qui adhuc sec. XIImo. multa mirabilia patrauisse dicitur (vita Bernhardi auct. Ernaldo. l. I, 9. II, 5. in ed. opp. Bernhardi *Mabilloniana* Paris. 1690. Vol. II. p. 1082 ss.). In ecclesia orientali obuiam quidem itum est a nonnullis procliuitati ad prodigia, praesertim a Chrysostomo et Theophylacto (vid. *Suiceri* thes. v. σημεῖον); in occidentali autem iam inde a seculis primis tantas egit radices, vt vel nostris temporibus nondum exstincta sit. *Bellarminus* saltem in notissimo *de ecclesia* libro diserte docet, miracula in ecclesia catholica *etiamnum* fieri, et insignem verae ecclesiae notam esse (vide *Gerhardi* loc. theol. ed. Cottae. t. XII. p. 93 sq). Nouimus, exstitisse nonnullos, qui fidem horum miraculorum infringere tentarent argumentis haud spernendis; at enimuero verendum est simul, ne iisdem conatibus miracula biblica et omnem fidem historicam peruertant, quamuis nolim hac fide nostrum iudicium de vera natura et indole factorum ubique gubernari. Cfr. *Eusebii* demonstratio euang. l. II. tot, *eiusdem* liber contra Hieroclem et *Less* Wahrheit der christl. Religion. Götting. 1786. p. 765 sq.

c) Opp. edit. Basil. 1569. tom. III. p. 1065. sentent. except. 283.

d) Opp. edit. Walch. t. II. p. 1826. XI, 1271 sq. Praeiuerat *Augustinus* enarrat. in Psalm. CX. „*Memoriam fecit mirabilium suorum*, reseruans opportune inusitata prodigia, *cum sint eius miracula quotidiana maiora. Tot per vniuersam terram arbores creat, et nemo miratur.*" Opp. ed. Basil. 1656. tom. VIII. p. 1290. Puellam tamen morbo comitiali laborantem, quem a diabolo immissum fuisse haud dubitauerat *Lutherus*, ipse sanare non potuit (*Seckendorfii* commentar. de Lutheranismo. Lips. 1694. p. 633 s.).

e) Vide historiam miraculorum *Muhamedis* (Vie de Mahomet par *Gagnier*. Amsterd. 1733. t. I. p. 176 s.) et *Münzeri*, qui ante proelium Francohusanum post concionem turbulentam arcum coelestem ex improuiso conspicuum in prodigium torserat (*Sleidani* commentar. de statu religionis et reipublicae Carolo V. Caesare. l. V. ed. Francofurt. 1610, p. 111.).

§. 23.

Ad nostra vsque tempora.

Rediere tamen mox theologi, quamuis nulla auctoritate librorum symbolicorum firmati, ad subtilitatem *Thomae Aquinatis* scholasticam, qui miracula primum diuinitus *praeter ordinem communiter in rebus seruatum* fieri docuerat [a]). Placuit itaque decernere, miracula esse *euentus ab ordine naturae recedentes, et ab ipsa numinis potentia repetendos; euentus naturales*

e causa supernaturali; euentus, quibus explicandis nulla causa naturalis sufficiat [b]). Declarauisse deum, eos ipsos, quorum interuentu miracula facta sint, *esse viros sanctos a se institutos* (Act. II, 22.), proptereaque miraculis primum et palmarium argumentum veritatis doctrinae Christianae inesse [c]).

a) *Summa theol.* lib. I. *quaest.* 105. art. 3 sq.

b) *Finitiones Quenstedtii*, *Hollazii*. *Dannhaueri*, *Buddei*, *Bilfingeri* (dilucidatt. §. 211 ss.), *Süfskindii* (*Flatt Magazin für christliche Dogmatik und Moral*. p. III. pag. 60 sq.). Neque defuere e philosophiae Leibnitianae, Wolfianae et Kantianae adseclis, qui huic sententiae calculum adiicerent. Conf. *Tieftrunk Censur des protestantischen Lehrbegriffs*. Berolini 1789. tom. I. p. 217 sq. Philosophische Vertheidigung der Wunder Iesu und seiner Apostel von D. *Graeffe*. Goetting. 1812. Aliam viam sibi muniturus erat b. *Seilerus* (in libro satis memorabili: *Vernünftiger Glaube an die Wahrheit des Christenthums*. Erlangen 1795. p. 8.), qui, cardinem miraculi non in turbato naturae ordine, sed in praeuisione thaumaturgi quaerit (praeeunte *Clerico* in *opp. philosophicis*. Lips. 1710. tom. II. p. 136 s.).

c) Vide longum apologetarum Christianae religionis indicem a Iustino M. ad Kleukerum vsque, in *Stäudlini Dogmatik u. Dogmengeschichte*. Göttingen 1800. tom. I. p. 319 sq. collato libro bonae frugis pleno: *Tschirners Geschichte der Apologetik, oder histor. Darstellung. der Art und Weise, wie das Christenthum in jedem Zeitalter bewiesen, angegriffen und vertheidigt ward.*

Th. I. Leipzig 1805. et *Lessio*: *Wahrheit der christlichen Religion*. §. 12.

§. 24.

Obseruationes criticae.

Surrexerunt autem mox *theologi*, qui contra hanc sententiam monerent, deum mundum a se vero eoque maximo miraculo conditum vna eaque immutabili voluntate gubernare, ideoque propter summam sapientiam leges naturae irreuocabiles non migrare. (Psalm. CXLVIII, 6. Ierem. XXXI, 35 s. Eccles. I, 10. III, 14.) [a]). Secuti sunt *philosophi*, qui, euentum supernaturalem ab homine vllo experientia cognosci posse negantes, aeternum etiam ordinem rerum moralem eiusmodi miraculis haud sine superstitione turbari ingenue docerent [b]). Accesserunt scriptores *historici* et *critici*, qui, cum testium fidem in plerisque miraculis desiderari, tum facta naturae contraria (Matth. XVI, 1 sq.) in libris sacris haud narrari, identidem monerent [c]). Obseruatum est denique ab ipsis N. T. *interpretibus*, facta Iesu Christi mirabilia fidem spectatorum adeo non aluisse; vt hinc inde indifferentiam potius ipsamque incredulitatem fouerent (Matth. XVI, 23. Ioh. VI, 11 et 30. XI, 46.). Superior est enim miraculorum auctoritate doctrinae veritas (Deut. XIII, 2. Gal. I, 8. 2 Thess. II, 9.) argumentis internis probanda, et de ea *prius constare debet, quam de miraculo iudicari ple-*

ne ac tuto possit [d]): quare Iohannes ipse, purioris euangelii profundus indagator (1. ep. V, 10 ss.), pro miti et fagaci, quo erat, ingenio, ab omnibus huiusmodi signis se abstinuit.

a) Conf. post *Ierusalemi, Doederlini, Mori, Henkii, Eckermanni* (Handbuch I, 439 sq.) observationes libellum nostrum: *theologische Abhandlungen*, 2tes Stück, p. 137 sq. Gött. 1799. *Aufhellungen* neuerer Gottesgel. I, 540 sq.

b) Vid. *Spinozae* tractatus theologico-politicus c. 6. *de miraculis. Rousseau* lettres ecrites de la montagne, Opp. edit. Bipont. tom. XII. ep. 3. *Heyne* opusc. academ. t. III. p. 207 sq. *Kants* Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft. p. 110 sq. *Iacobs* vermischte philosophische Abhandlungen. Halle 1797. p. 132 sq.

c) Vid. *theologia nostra biblica* tom. II. ed. 2. p. 342 sq. Praeiuerat *Iosephus*, traiectum maris rubri expliciturus, loco satis memorabili *ant.* II, 16, 5. Inter auctores profanos eminet *Palaeophati* libellus *de incredibilibus*, statim in praefatione.

d) Verba b. *Mori* in epitomes theol. christ. proleg. sect. IV. §. 21. Praeiuerat *Moro*, τῷ μακαρίτῃ, eandem sententiam *Gerhardus*: „miracula, si non habuerint doctrinae veritatem coniunctam, *nihil probant* (loc. theol. t. XII. pag. 107. edit. Cottae)." Debet itaque prius explorari veritas doctrinae, quam prodigii diuinitas.

§. 25.

Consectaria doctrinae de miraculis.

Quae quidem omnia si iusta lance ponderentur, docebunt *primum*, in illustranda quaestione, numne Deus in regundis mundi vicissitudinibus a vulgari naturae lege discedere possit, velitue, summa modestia opus esse [a]); omnia enim opera Dei sunt mirabilia (Psalm. CXXXIX, 14.), in gubernando praesertim rerum ordine morali pia mente adoranda [b]). *Deinde* facile intelligitur, in constituenda miraculorum biblicorum dignitate omnia pendere a sapientia et virtute doctoris, adeoque Christi opera diuina (Ioh. XIV, 10. XI, 43.) miraculis Mosis et Aaronis (Exod. VII, 10 ss.), Eliae (1 Reg. XVII, 21 s.), Elisae (2 Reg. XIII, 21 s.) et Petri (Actor. IX, 40.) longe anteponenda ideoque cum prodigiis incantatorum Aegyptiorum (Exod. VII, 22.), vel Pharisaeorum (Matth. XII, 27.) nullo modo confundenda esse. Maxima igitur sagacitate miracula vera *separanda* sunt ab opinatis atque spuriis (Matth. XXIV, 24. 1 Ioh. IV, 1 s.), neque maligne carpendi librorum sacrorum interpretes, qui in illustrandis narrationibus biblicis regnum Dei naturale cum morali arctissimis vinculis necti idoneis argumentis docuerint [c]). *Vltimo loco* tenendum est, miracula vera, ad vulgares incredulorum mentes arguendas patrata (Matth. XVI, 4. Ioh. XX, 13. 1 Cor. XIV, 22.), a Christo ipso commendari tan-

quam *subsidia fidei* (Ioh. XIV, 11.), neque defuturos esse nostra aetate, quibus singularem Dei providentiam, tanquam in imagiue delineatam, ante oculos sistant [a]).

a) Lege aurea verba *Kantii* in libro: Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 196 s.

b) *Twestens* Vorlesungen über die Dogmatik. Zweite Aufl. Hamburg 1829. p. 354 s.

c) *Herders* christl. Schriften. Th. II. p. 259 s. und m. theol. Abhandlungen üb. die Wunder. p 204 s. Das Leben Iesu von *Paulus*. Th. I. Abth. I. Heidelberg 1828. Vorr. p. X.

d) Die einfachste Dogmatik von *Eschenmayer*. Tübingen 1826. p. 232 ss.

§. 26.

Conuenientia cum sana ratione.

Aliud, idque summum veritatis argumentum est *conuenientia doctrinae cum natura hominis spirituali*, vel *rationali*, ad quam auctores sacri saepius prouocare non dubitant, et quae tropice a theologis *testimonium sacri spiritus* adpellatur (1 Ioh. V, 6.). Legimus enim, Mosen atque prophetas doctrinam suam commendare tanquam *legem animis hominum inscriptam* (Deut. XXX, 11-14. Rom. X, 6. Ier. XXXI, 33 sq.); Iesum veri periculum in *cognitione quaerere factis exprimenda* (Ioh. VII, 17. coll. III, 21. Matth. VII,

21. 29.); Paulum et reliquos apostolos non solum ad *diligentem veri explorationem* excitare lectores (Rom. XII, 2. Ephes. V, 10. Phil. I, 10. 1 Thess. V, 21. 1 Ioh. IV, 1. V, 10.), et ad conscientiam, certissimum veri indicem (2 Cor. III, 3. IV, 2.) prouocare, sed *formulam etiam praeire egregiam*, ad quam libri pro diuinis habiti, posthabita auctoritate humana (Gal. II, 6.), tanquam ad lapidem Lydium exigi debeant (2 Tim. III, 15 sq.). Mirari itaque non subit, apologetas religionis Christianae antiquiores [a]) et recentiores [b]), quibus nimirum sapere contigit, huic argumento principi insistere; neque enim ad arcem veri vnquam penetrauerunt, qui vim eius obiectionibus vanis attenuare conati sunt [c]).

a) *Iustinus* M. apologia secunda ed. *Thirlb.* p. 124. 132.) testatur diserte: *Iesum ex parte iam a Socrate, Platonicis et Stoicis cognitum esse*, quia omnibus infuisset ratio (λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν). Apud *Clementem Alexandrinum* verba occurrunt aurea: ἄλλως τὶς περὶ ἀληθείας λέγει, ἄλλως ἡ ἀλήθεια ἑαυτὴν ἑρμηνεύει (stromat. lib. I. pag. 288. edit. Colon. 1688.). Egregie *Lactantius* (instit. diu. lib. IV. c. 3.): *vbi sapientia cum religione inseparabili nexu cohaeret, vtramque veram esse necesse est.* Confer omnino totum locum.

b) *Leibnitius* de conformitate fidei cum ratione opp. ed. Dutens tom. I. pag. 60 sq. *Rousseau* Emile, tom. IX. opp. pag. 13. 59. *Lefs Wahrheit der christl. Religion.* p. 118 sq. *Doederleins christl. Religionsunterricht.* part. I. p. 134 sq. *Zieglers Erörterung, daſs der Beweis für die Wahrheit*

und Göttlichkeit der christlichen Religion mehr aus der inneren Vortrefflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weissagungen zu führen ist; in *Henke's* Magazin für Exegese, tom. I. p. 20 sq. *Eckermanns Handbuch.* I, 673 sq. *Fichtes Anweisung zum seligen Leben.* p. 155 sq. *Aufhellungen* neuerer Gottesgelehrten. I, 545 sq.

c) Hic autem commemorare non veremur ipsam *Moshemii* timiditatem, ne hoc argumento via in Socini castra sternatur (*institutt. histor. eccles.* l. IV. Helmstadtii 1754. 4. p. 820 sq.). Videmus enim, iam *Calouium* huic probationi, vt principi, insistere (*System. theol.* I, 152 ss.). Meliora adhuc suppeditat *Daub* i. l. *Einleitung in das Studium der Dogmatik.* p, 363 s. *De Wette Religion und Theologie.* Berlin 1815. p. 110. Adde egregium *Planckii* libellum: Ueber den gegenwärtigen Zustand und die Bedürfnisse der protestantischen Kirche. Erfurt 1817. p. 55 ss. Neque alienum est eiusdem auctoris scriptum: Ueber die Behandlung, die Haltbarkeit und den Werth des historischen Beweises für die Göttlichkeit des Christenthums. Götting. 1821.

§. 27.

De canone V. T.

Propter haec et alia argumenta libris sacris accreuit temporis successu quaedam auctoritas publica, quam *canonicam* vocant. *Canon* videlicet adpellatur *catalogus librorum, auctoritate publica in ecclesia cum Iudaica, tum Christiana, sensim pro sacris et diuinis pro-*

ptereaque ad praelectiones publicas idoneis habitorum. Collecti sunt nimirum libri V. T., vt ab iis ordiamur, magno eorum numero temporis iniuria profligato [a]), primum *singuli;* pentateuchus, olim breuitate sua insignis (Deut. XXXI, 24 sq. Ios. VIII, 30—35. 2 Reg. XXII, 8 sq.), iam exilii Babylonici tempore amplificatus est [b]); Psalmorum, nouo carminum numero auctorum (Psalm. LXXII, 20.), prophetarum maxima pars, et libri regum a Nehemia additi sunt (Nehem. VIII, 1—9. XIII, 1—8. 2 Macc. II, 13.); reliqua pars oraculorum, cum annalibus Hebraeorum variis et Daniele vate cura Iudae Maccabaei demum corpus fieri coeperunt (ibid. v. 14.) [c]). Ab hisce libris, temporum iniuriae sorte felici ereptis, pependisse ecclesiam Iudaicam, testantur libri apocryphi (*Sirac.* prol. v. 2. cap. XLV sq.), *N. T.* (Luc. XXIV, 44.), *Iosephus* [d]), *Philo* [e]), *Melito* [f]), *Origenes* [g]), *Athanasius* [h]), *Hieronymus* [i]), suffragiis tamen variis et iam a Sadducaeis et Essenis multiplici ratione turbatis [k]). Accessere apud Christianos concilii Laodiceni (a. 364.) [l]), Carthaginensis (a. 397.) aliorumque decreta, quae tamen et ipsa inter se dissentiunt nouisque disquisitionibus viam sternunt [m]).

a) Recensum eorum dedit *Gerhardus* loc. theol. t. I. p. 81. et *Wolfius* bibl. hebr. p. II. p. 211 ss.

b) *Wolfii* prolegomena in Homerum §. 18 sq. inprimis p. 156. coll. b. *Heynio* ad Iliadem t. VIII.

exc. 2. s. 4. *de rhapsodiarum compage*: *Vater, Commentar über den Pentateuch.* Halle 1805. t. III. p. 391 sq. Neque tacendum est, post *Aben-esram* iam *Spinozae* (tract. theol. polit. c. VIII, quo loco pentateuchum, libros Iosuae, Iudicum, Samuelis et Regum ab Esra concinnatos esse statuit) suboluisse de iis, quae *Ilgen*, *de Wette*, *Meyer*, aliique viri docti nostro aeuo clarissimi liberius persecuti sunt.

c) *Spinoza* l. c. c. X. libros Chronicorum ad Iudaei Maccabaei tempora detrudit: *Rau* de synagoga magna p. 9—12. 118 sq. *Auriuillii* dissertatt. ed. Michaelis. Götting. 1790. p. 145 et 158. *I. H. Michaelis* praef. in Danielem, p. 36. *Bertholdts Daniel.* Erlang. 1806. p. 83 sq. Eiusd. kritische Einleitung in sämmtliche Schriften des A. und N. T. Erlang. 1812. B. I. p. 54. B. IV. p. 1549 ss.

d) Contra Apion. lib. I. c. 8. collato loco de B. Iud. lib. VII. c. V. §. 5. de *lege* Dei a Vespasiano in triumpho portata. Locum priorem bene illustrauit *Bretschneider* in libello: Capita theologiae Iudaeorum dogmaticae e Fl. Iosephi scriptis collecta. Lips. 1812. p. 1—9.

e) De vita Mos. p. 654 sq. ed. Mangey coll. *Eichhornii* biblioth. bibl. tom. IV. p. 785 sq. de apocryphis et diuersitate canonis Palaestinensis et Alexandrini.

f) Apud Euseb. H. E. lib. IV. c. 26.

g) Ibid. lib. IV. c. 25. Omittit prophetas minores et addit librum Esrae secundum cum epistola Ieremiae.

h) In synopsi scripturae sacrae opp. edit. Colon. 1686. tom. II. p. 57 sq. Vide, quae ibi monentur de apocryphis.

i) Epist. 2. ad Paulin. et praef. in librum regum opp. ed Francof. t. III. p. 12 sq. Conf. *Augustinus* de doctrina Christiana, lib. II. c. 8.

k) Conf. Ioseph. B. I. lib. II. c. 8. §. 3 sq. et *Wolfii* bibl. hebr. p. II. p. 50 ss.

l) *Spittlers* kritische Untersuchung des sechzigsten Laodicenischen Canons. Bremen 1777. p. 10 sq.

m) Desunt nimirum leges, quibus v. c. Corani libri circumscripti sunt: vid. *Elmacini* histor. Saracen. ed. *Erpen.* mai. lib. I. pag. 18. *Fundgruben des Orients.* Wien 1809. B. I. p. 168. Aliter Sadducaei, Esseni, Alexandrini, Pharisaei, aliter Melito, Origenes, Athanasius, et conciliorum excitatorum patres sentiebant de canone V. T. Quis nunc conabitur, argumentis mere historicis ductus, tantam componere litem? Conf. *Gerhardi* loc. theol. ed. Cottae t. I. p. 90 sq. *Pauli* nouum Repertor. part. III. 180 sq. *Henke's* Magazin für Exegese, t. II. 433 sq. IV, 1 sq. *Eckermanns Handbuch* 1, 633 sq. Ratione autem et ingenio critico vel maxime opus esse in libris sacris cum congerendis, tum explorandis, iam senatus Romanus intellexit, quum sacerdotibus mandaret, ut in libris sacris Romam adlatis, quantum humana ope possent, *vera a falsis discernant. Freinshemii* supplementa ad Livium. lib. XCI. c. 23.

§. 28.

De canone N. T.

In ecclesia primaeua, cui persuasum erat de reditu Messiae proxime exspectando (1 Cor. XV, 51. 2 Cor. V, 3 sq.), fides Christianorum magis

doctorum, quam scriptorum auctoritatem secuta est. Illatae tamen sunt in ecclesias, praeeunte forte exemplo Aramaeo [a]), vitae I. C. plures [b]), quarum numerus, seculo secundo demum, ad *quaternionem euangeliorum* reuocatus est [c]). Paulo post *epistolae* cum Actibus, qui accessere, corpus fieri coeperunt, non tamen pari auctoritate, vel consensu [d]). Seculo tertio vtraque collectio iam in vnum volumen coiuerat, testibus *Origene* [e]), *Eusebio* [f]), *Athanasio* [g]), *Augustino* [h]), concilio *Laodiceno* [i]) et *Carthaginensi*, consuetudine tamen magis, quam vniuerso ecclesiarum suffragio coniuncta [k]); monuerunt enim viri docti, canonem Augustini et Hieronymi a communi ecclesiae norma adhuc sexto seculo multis modis discessisse [l]). Quae omnia, si iusta trutina ponderantur, probabilem reddunt sententiam, ex historia canonis non internam, sed externam librorum sacrorum auctoritatem deriuari et firmari posse [m]).

a) *Eichhorns* Bibliothek der biblischen Literatur. tom. V. p. 672 sq. Einleitung in das N. T. Leipzig 1804. B. I. p. 166 s.

b) *Iustini* M. apol. II. c. 98. *Fabricii* cod. apocr. N. T. p. 2 sq. *Henke's* Magaz. für Exegese. t. IV. p. 576 sq. *Hugs* Einleitung in die Schriften des N. T. Tübingen 1808. t. I. p. 7 sq.

c) *Irenaeus* adu. haeres. lib. III. c. 11. *Tertullian.* aduers. Marcionem lib. IV. c. 4 sq. *Bertholdts* Einleitung. Th. I. p. 99 s.

d) Cum propter finem epistolarum ἐγχώριον, tum

propter epistolas suppositas (2 Thess. II, 2. III, 17.). Actus apostolicos multis ecclesiis vel suo aeuo ignotos fuisse, conqueritur *Chrysostomus* (homil. prima in act. initio).

e) Apud *Euseb.* H. E. lib. VI. c. 25. loco dignissimo, qui curatius explicetur.

f) H. E. III, 25. coll. c. 16., quo *Clementis* etiam Romani epistolam μεγάλην καὶ θαυμασίαν καὶ ὁμολογουμένην adpellat. Videatur *Henkes* Magazin. t. V. p. 451 sq.

g) Synopsi scr. sacrae l. c. p. 59 sq.

h) De doctrina Christiana. lib. II. c. 8.

i) Vide, quae monet *Schröckh* in der christl. Kirchengeschichte. Th. VI. p. 261 ss. contra *Spittlerum* supra excitatum. §. 27. l.

k) *Augustinus* ipse vult (l. c.), „epistolas apostolorum, quas *plures et grauiores* ecclesiae accipiunt, praeponendas esse iis, quas *pauciores et minoris auctoritatis* ecclesiae teneant."

l) *Cassiodorius* de institutione diuinarum literarum. §. XII—XIV. opp. Venet. 1729. t. II. p. 516 ss.

m) *Semler* von freier Untersuchung des Kanon. Halle 1771 sq. (*Corrodi's*) Versuch einer Geschichte des jüdischen und christlichen Bibelcanons. Halle 1792. *Haenleins* Einleitung in die Schriften des N. T. ed. 2. tom. I. p. 365 sq. Erlangen 1801. *Eckermanns* theologische Beiträge. B. 5. St. 2. p. 140 sq. *Schröckhs* christliche KG. Th. IX. p. 45 ss.

§. 29.

Auctoritas librorum sacrorum.

Haec autem, quam *normatiuam* adpellant, auctoritas sensim vindicata est scripturae sacrae V. et N. T. hac nimirum ratione, vt, rite explicita, et ad principia solida reuocata humanam auctoritatem qualemcunque longe superet, adeoque *vnicam et certissimam doctrinae regulam* (2 Tim. I, 13.) religionis Christianae ministris exhibeat [a]). Nititur sententia ista origine horum librorum diuina, principiorum veritate (Act IV, 12. 1 Cor. III, 11.), et doctrinae sufficientia (Act. XX, 28 1 Ioh. II, 20.). Subscribi autem potest, quidquid etiam obiiciant aduersarii [b]), vel nostris temporibus huic indicio, dummodo in explicandis libris sacris non tam diuinae *orginis*, quae vbique demonstrari nequit, quam diuini eorum *argumenti* ratio habeatur (2 Tim. III, 16.), cuius natura et indoles e summis praeceptis euangelii facile inuestigari et ab inanibus hominum commentis separari potest [c]). Praecepta enim cum V. (Gal. III, 24.), tum etiam N. T. (Act. XX, 28. 1 Cor. XI, 10. Iacob. V, 14.) varia successu temporis obliterata esse, satis constat [d]).

a) Libri symbol. solida declar. I. p. 632. ed. *Rechenberg*. *Luther von den Conciliis*. opp. t. XVI, 2615 ss. *Gerhard*. loc. theol. t. I. p. 356 sq. Conf. *Doederlini* instit. §. 47. obs. 2. Ponimus tamen fundamenti loco hanc legem, ut literali librorum

sacrorum interpretationi, quae successu temporis in historicam et criticam abiit, *realis* atque stabilis accrescat (*Die unveränderl. Einheit der evangel. Kirche.* B. I. Heft 4. p. 48 s.).

b) Traditionum et patrum auctoritatem iam commendauit *Vincentius Lerinensis* commonitor. c. 2. Eandem tibiam inflauit *Eckius* contra Lutherum, et post eum sagacissimus protestantium aduersasarius, *Bossuet histoire des variations des eglises protestantes.* l. XV. §. 112. Adde *Lehmanni* libellum; *Ansicht und Gefahr des Protestantismus.* Königsberg 1810.

c) *Eichhorns* Vorschläge zur Hermeneutik, in der Bibliothek der bibl. Literatur. B. IV. p. 330 sq. *Meyers* Hermeneutik des A. T. Lüb. 1800. *Michaelis* Dogmatik. §. 3 sq. *Aufhellungen* neuerer Gottesgelehrten. t. I. p. 358 sq.

d) Confer articulum de *abrogatis* in Corano Sur. II. v. 100. (ed. *Hinckelmann*), 106. (*Maraccii*) et in hac edit. prolegomena *de Alcorano* e. l. de *abrogatis* p. 42.

§. 30.

De traditione.

Ex hoc fonte sacro tanquam riuulum deriuarunt *traditionem*, vel doctrinam Christi et apostolorum non scriptam, quam in *dogmaticam*, *ethicam*, *historicam* et *ritualem* diuidunt, parique cum scriptura sacra auctoritate et commodo publico ab ecclesia seruatam atque propagatam esse volunt [a]). Atque verum est omnino, diuinae Christi

doctrinae ore, non scriptis, primum diuulgatae (1 Cor. XI, 2.), vestigia vel extra euangeliorum tetradem (Act. XX, 35.) hinc inde in genuinis patrum libris deprehendi [a]), idoneaeque apostolicae traditionis reliquias, nominatim in baptismo infantum, vel a nostra ecclesia haud sine religione conseruari [b]). Contendimus tamen, traditionis paritatem cum libris canonicis qualemcunque esse ἑτεροζυγίαν pharisaicam a Christo diserte reprobatam (Matth. XV, 1—6.); singulas ecclesias iam apostolorum aetate traditiones aluisse diuersas et contrarias [c]); e caeca traditionis fide successu temporis, tanquam e pyxide Pandorae, foedam errorum atque commentorum segetem prodiisse [d]); ideoque veram traditionum, quae omnes sunt particulares, auctoritatem ubique ad euangelii et sanae rationis normam esse constituendam [e]).

a) *Pallavicinii* historia concilii Tridentini lib. VI. c. 15. §. 6. *Bellarminus* de verbo Dei l. IV. c. 3 s. *Prechtl* über die heil. Schift als einziges Glaubensprincip; in libello: Rückblick auf die Beleuchtung der Tzschirnerschen Schrift: *Katholicismus* und *Protestantismus.* Sulzbach 1824. p. 1169. Schreiben eines kathol. Geistlichen an den Verfasser der zwei Briefe, durch die zu Dresden erschienene Schrift, *die reine katholische Lehre*, veranlafst. Sulzb. 1828. p. 4 s.

b) Vide de dictis Christi non scriptis *Fabricii* codicem apocryphum N. T. Hamburgi 1703. p. I. p. 321 s. et post *Koerneri* de dictis Christi ἀγράφοις dissert. Rosenmüllerum de vsu traditionum in ecclesia. Lips. 1786.

c) v. c. orientis et occidentis de festo paschali. Vide *Eusebii* H. E. l. V. c. 6. et *Irenaeum* adu. haeres. l. III. c. 3.

d) Verba *Chemnitii* in examine concilii Tridentini. Francofurti 1707. T. I. l. 2. p. 88 f. Adde *Polani* (Sarpii) historiam concil. Trident. Gorciochemi 1658. ed. V. lib. II. p. 132 ss.

e) Accurate exposuit de pretio traditionibus statuendo *Marshius* episcopus in libro (A comparatiue View of the Churches of England and Rome. Cambridge 1814. ch. III.) vel apud nostrates ciuitate donato. Adde b. *Tzschirneri* zwei Briefe durch die zu Dresden erschienene Schrift, *die reine katholische Lehre*, veranlafst. Leipz. 1826. p. 32. et librum nostrum menstruum: Die unveränderliche Einheit der evangel. Kirche. Dresden 1826. B. I. H. I. p. 87 ss.

PARTICVLA TERTIA

DE

THEOLOGIAE CHRISTIANAE NATVRA ET INDOLE.

§. 31.

De cognitione Dei.

Theologiam, quae doctrina est de Deo (§. 3.), *cognitionem numinis* continere et cum aliis communicare, in libris sacris aperte docetur (Hos. VI, 3—6. Ioh. XVII, 3. Act. XVII, 23. Rom. I. 19 sq.

2 Cor. II, 14. III, 18. X, 5. 2 Petr. I, 2.), et a patribus, *Augustino* inprimis, multis modis declaratum est [a]). *Ioannes* Damascenus contra adseruit cum Alexandrinis, *Deum non solum omnem substantiam, sed cognitionem etiam superare* (1 Tim. VI, 16.) [b]), ab *Alberto* M. [c]) tamen et *Thoma* Aquinate [d]) iam idoneis argumentis refutatus. Rediit postea eadem sententia in philosophia *Kantii*, qui Deum cogitari quidem et credi, sed non cognosci posse docuit [e]). At enimuero cognitio pura, quae *nexus est notionum, vnitate cogitandi rationali coniunctarum*, non solum in physicis, sed in metaphysicis etiam, cum maxime in theologia locum habet [f]): quare non defuere philosophi, qui rectam Dei cognitionem omnium certissimam adeoque vnicam adpellarent [g]).

a) *De cognitione verae vitae.* c. VI. et VIII. *Quaestiones veteris et noui testamenti.* p. 1. De trinitate lib. VIII. c. 4. *Quid est, Deum scire, nisi eum mente conspicere firmeque perspicere.*

b) *De orthodoxa fide.* lib. I. c. 4. Adde *Hugonem* de sancto Victore in libro *de anima* et in *summa sententiarum.*

c) Summa theolog. tract. III. quaest. 13. „Deus *cognosci* potest, sed non *comprehendi.*" Conf. *Tiedemanni* Geist der speculativen Philosophie. tom. IV. p. 417 sq.

d) *Buhle's* Geschichte der neueren Philosophie. Göttingen 1800. tom. I. p. 862 sq.

e) Kritik der praktischen Vernunft. p. 255.

f) *Kants* Kritik der reinen Vernunft. p. 864. *Friesens* neue Kritik der Vernunft. Heidelb. 1807. t. II. p. 31 ss.

g) *Cartesius* de prima philosophia. Amstelod. 1670. med. IV. p. 25. *Spinoza* eth. pag. IV. prop. 28. *Mendelssohns* Phaedon. Fünfte Ausg. Berl. 1814. p. 79 ss.

§. 32.

De veritate et natura huius cognitionis.

Deum itaque cognosci, hoc est *summa necessitate rationis cogitari posse*, facile probatur ex informatione numinis homini innata (Rom. II, 15.), veritate huius ideae ex operibus Dei intelligenda (Rom. I, 19.), religione inde deriuata (Ioh. IV, 23.) et disertis scripturae dictis (Ioh. XVII, 3. 2 Cor. III, 18.). Patet tamen ex essentia numinis, cognitionem istam neque *intuitiuam*, vel *directam* (Ioh. I, 18.) [a]), neque *supernaturalem*, sed vnice *rationalem* esse, eamque vel *puram* (idealem), vel *mixtam* (physicam, theologicam) [b]). Prima *analytica* est, altera *synthetica*, eaque *symbolica*, vel analogica et reflexa; neque enim Deum ipsum, sed necessariam tantum Dei ideam tenere et amplecti potest hominis cognitio libera, ita quidem, vt mentis puritate et sapienti rationis cultura sensim in pium atque idealem numinis intuitum desinat (Matth. V, 8.). Pertinet itaque non ad *scientiam* (Wissen), sed ad *fidem*, quae *certa est persuasio de rei inuisibilis existentia* (Hebr.

XI, 1.), *idoneis argumentis declaranda*, ideoque summam euidentiam et firmitatem admittere debet [c]). Quaerendus est igitur Deus (Act. XVII, 27.), ut eum inueniamus et credamus (Matth. VII, 7.), inuentum autem firmiter teneamus, ne in aeternum quaeramus [d]).

a) *Intellectuelle Anschauung* vocatur a mysticis. Cf. *Fries* neue Kritik der Vernunft. Heidelb. 1807. p. I. p. 196 sq.

b) *Tieftrunk's* Censur des protestantischen Lehrbegriffs. Part. III. Berlin 1795. praef. p. XLIII sq. *Iakob* über den moralischen Beweis für Gottes Daseyn. p. 160 sq.

c) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft. pag. 848 sq. *Krug* von der Ueberzeugung nach ihren verschiedenen Arten und Graden. Iena 1797. *Fries* Wissen, Glaube und Ahndung. Iena 1805. p. 118 ss. Neue Kritik der Vernunft. p. I. p. 332. II, 83. *F. H. Iakobi's* Werke. Leipzig 1815. B. II. p. 1 ss. *Daub's* Einleitung. p. 103 s. 177 ss.

d) Verba *Tertulliani* de praescript. adu. haereticos. c. X.

§. 32.

De articulis fidei.

Haec autem fidei doctrina seriem continet sententiarum, quas *articulos* vocant, imagine a corporis compage ducta (Ephes. IV, 16.). Hos non satis commode diuidunt in *puros* et *mixtos*, ratione *fontis*, qui vel e scriptura sacra, vel simul

e ratione deriuatur; in *fundamentales* (essentiales) et *non fundamentales*, ratione *argumenti*, quod a principio, siue arce disciplinae (*salutis*, vt loqui amant theologi) vel propius abest, vel longius [a]). De numero autem et *summa* horum articulorum fundamentalium (1 Cor. III, 11. Hebr. VI, 1 s.) vehementer disputatum est. Quamuis enim secundum libros sacros res sit satis expedita (Deut. VI, 4. Matth. XXVIII, 19. Ioh. XVII, 3.)[b]); post multas tamen controuersias, haud raro inanes, doctrinae, pro fundamentalibus habitae, adeo sunt cumulatae, vt vel nostris temporibus dubitatum sit, vtrum omnia theologiae christianae capita ad vnam sententiam primariam reuocari queant, nec ne [c])?

a) *Calouii* syst. t. I. p. 767. *Turretinus* de articulis fundamentalibus et in compend. theolog. did. elencht. Lugd. 1731. p. 11. *Witsius* de articulis fundamentalibus in exercitatt. sacris in symbolum apostolorum. Basil. 1693. p. 8 sq.

b) Conf. *R. Maimonis* שלש עשרה עקרים, vel de tredecim articulis fundamentalibus ecclesiae Iudaicae. *Bodenschatzens* kirchl. Verfassung der Iuden, tom. III. p. 4 sq Neque negligendus est Islamismi articulus fundamentalis.

c) *Schmidt* über christliche Religion als Volkslehre und Wissenschaft. Iena 1797. pag. 127 sq. *Feßler's* Ansichten von Religion und Kirchenthum, Berlin 1805. I, 10 sq. *Daub's* Einleitung, p. 311.

§. 34.

De summo principio theologiae.

Videlicet *Lutherus* et libri symbolici arcem fidei quaesiuere in doctrina de iustificatione [a]); *Semlerus* articulum fidei summum in formula baptismi et symbolo apostolico reperire sibi visus est [b]); *Doederlinus* nouem, quid quod sedecim decreta theologica disciplinae ceu fundamenta subiecit [c]); alii ad inspirationem scripturae sacrae, tanquam vnicum theologiae Christianae principium, prouocauerunt. Ex nostra sententia theologia rationalis omnis nititur propositione synthetica: *Deus est;* theologia Christiana autem decreto: *Deus auctor et gubernator mundi, humanae etiam salutis auctor et largitor est per Iesum Christum* (Ioh. XVII, 3.) [d]). Patet autem, a summo *theologiae* (§. 3.) principio *religionis* Christianae articulum fundamentalem (Matth. XXII, 37 sq. 2 Tim. II, 19.) caute separari debere [e])

a) *Apolog. conf.* art. II de iustificatione, fin. *Form. concord.* p. 683. ed. Rechenberg.

b) Institut. ad doctrinam Christianam liberaliter discendam, §. 79.

c) Institut. theol. Christ. §. 23. Christlicher Religionsunterricht, part. I. p. 443 sq.

d) *Henkii* lineamenta, §. XXII. *Eckermann's* Handbuch für das systematische Studium der christlichen Glaubenslehre, tom. I. p. 713 sq.

e) *Tieftrunk's* Censur des protestantischen Lehrbegriffs, tom. I. cont. 1. p. 112 sq.

§. 35.

De regula fidei.

Quaeritur autem, qua ratione ex hoc theologiae Christianae principio summo dogmata reliqua deriuari possint sine offensione scripturae sacrae, quae diuersas interdum de vno eodemque articulo sententias praeire videtur (v. c. Rom. III, 28. Iac. II, 14.). Nouimus, *Ignatium* spiritum longe anteferre evangeliis et libris [a]); *Tertullianum* prouocare ad *regulam fidei*, seu doctrinas apostolicas scriptura superiores et grauiores [b]); *Irenaeum* ad *regulam veritatis*, iam in symbolo apostolico obuiam [c]); *Origenem* ad *sensum scripturae spiritualem*, grammatico, vel literali longe superiorem [d]); *Augustinum* ad *regulam pietatis*, iniusta et indigna quaeuis a Deo remouentem secundum ecclesiae catholicae auctoritatem [e]) *libros symbolicos* ad symbola tria catholica [f]) *theologos sequiores* ad analogiam fidei (Rom. XII 6.), vel consensum doctrinae cum articulis fundamentalibus [g]); *Kantium* et *Fichtium* ad rationem et legem moralem, ceu summum religionis interpretem et iudicem [h]). Quibus omnibus merito obiicitur, certam fidei apostolicae regulam extra libros nunc non exstare; explicationem scripturae spiritualem et moralem allegoriis et hallucinationi

bus ansam praebere; certamque fidei analogiam vnice e summo theologiae principio (§. 34.) pendere. Quare, vbi dissenserint libri sacri, explicandi erunt primum grammatice et historice [i]), deinde componendi ad normam sententiarum euangelii principem (Ioh. III, 15. IV, 23.), quam iterum rectae [k]) Dei patris ideae subesse docemur (1 Cor. III, 23.). In theologia enim christiana eam solummodo dialecticen probamus, qua, superatis literarum tendiculis (1 Tim. VI, 20.) atque technis scholasticis (Col. II, 8.), omnia ad Deum summi boni per Christum largitorem (Ephes. I, 3.), reuocantur.

a) Epist. ad Philadelph. ed. Vedelii, p. 102. οὐ γὰρ πρόκειται τὰ ἀρχεῖα τοῦ πνεύματος.

b) Apologeticus adu. gentes, c. XLVII. de virginibus velandis, lib. I. c. 1. quo loco egregie docet: *quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc est haeresis, etiam vetus consuetudo. De praescr. adv. haeret.* c. XIII—XIX, qui locus princeps est.

c) Aduersus haereses, lib. I. c. 2 s. Conf. *Lessing's* theologischer Nachlafs. Berlin 1784. pag. 126 sq. *Schröckh's* Kirchengeschichte, Th. IX. edit. 2. p. 87 ss.

d) Περὶ ἀρχῶν, lib. IV. c. 1 et 2. Cf. *Huetii* Origeniana, p. 170. *Iulianus* (orat. V.) eodem interpretandi genere vtitur ad defendendas gentilium fabulas aduersus Christianos.

e) De praedestinatione et gratia, cap. 1. contra epistolam fundamenti, c. 5. Cf. tamen de hoc loco Augustini opp. Lutheri, t. XIX. p. 735. deinde

Wadingii et *Episcopii* controuersiam de regula fidei, in huius opp. theolog. Amstelod. 1650. p. 97 sq.

f) Form. concord. p. 632.

g) Conf. inprimis *Heilmanni* compendium theologiae dogmaticae, §. 7. Praeiuerat Lutherus: nicht von den einfältigen Worten der Schrift zu weichen, *es zwinge ihn denn irgend ein Artikel des Glaubens, daſs man es müsse anders verstehen, denn die Worte lauten.* Opp. t. III. p. 23.

h) Die Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft, p. 149 sq. *Fichte's* Anweisung zum seligen Leben. Berlin 1806. p. 157 sq.

i) Quod iam vidit *Lutherus* opp. XVIII, 1605. *Keil's* Lehrb. der Hermeneutik, §. 7. *De Wette* über Religion und Theologie. Berlin 1815. p. 188.

k) *Eichhorn's* Bibliothek der biblischen Literatur. B. IV. p. 330 sq. *Seiler's* biblische Hermeneutik. Erlang. 1800. praef. p. XXIII. *Hauff's* Briefe über den Werth der christlichen Religionsurkunden. Stuttgardt 1814. B. III. p. 22. 74 ss.

§. 36.

De rationalismo.

Vtuntur autem theologi [a]) in hoc negotio longe grauissimo tanquam duce certo siue *ratione*, siue *reuelatione diuina.* Adpellant enim *rationalismum* eam religionis doctrinam, quae e solis rationis humanae fontibus deriuatur, et *rationalistas*, qui naturalistarum nomen vehementer recusant, eos doctores, qui praeter sanae rationes praecepta nihil

a Deo hominibus reuelatum esse iudicant [b]). Atque verum est omnino, rationem humanam a Christo illustratam atque *sanatam* purioris religionis fontem esse (Matth. VI, 22. Rom. XII, 1 s.) [c]). Videant tamen, qui in contrariam sententiam abeunt, ne suam rationem, indiuiduam et modicellam, cum ratione totius generis humani, vel dei ipsa confundant; ne, dum religionem a superstitione purgant, novam veri dei ignorantiam foveant [d]), propter superbiam doctrinae recens excogitatae et ingenio temporis adcommodatae aeternum dei verbum negligant, et ordinem salutis per Christum consequendae diuinitus constitutum in meram legislationem ethicam, vel ciuilem conuertant [e]).

a) Classicum cecinerat auctor libri: *Philosophia scripturae interpres*, exercitatio paradoxa, tertium edita a *Semlero*. Halae 1776. *Meyerum* esse volunt, disciplinae Cartesii et Spinozae alumnum, qui ingentes hoc scripto turbas excitauerat. Vulgo etiam volunt, ipsum *Kantium* huic systemati patrocinari in libro nobilissimo: *Die Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft*. Königsberg 1803. p. 149 ss. Probe tamen distinxerat vir immortalis religionem, quae omnino rationis limitibus continetur, a theologia christiana eiusque sententiis primariis atque theticis subinde a se defensis.

b) „*Rationalismus* ist das theologische System, welches die allgemeine Menschenkraft zum religiösen Leben für zureichend erklärt.“ Lehrbuch der evangel. Dogmatik v. D. *Hase*. Stuttg. 1826. p. 12. Cfr. *Tschirner's* Vorlesungen über

die christl. Glaubenslehre. Leipzig 1829. p. 55. Beruhigende Resultate aus dem neuesten Versuch des Supernaturalismus gegen den biblisch-christl. Rationalismus von D. *Paulus*. Wiesbaden 1830. p. 30 ss.

c) „Wir halten die menschl. Vernunft für krank, getrübt; das Christenthum will sie reinigen, heilen; es fragt sich also, ob ein philosophisches System nicht mehr oder weniger eben die Krankheit darstelle, die das Christenthum bekämpft?" *Twestens* Vorlesungen über die Dogmatik. B. I. Zweite Aufl. Hamburg 1829. p. 395.

d) Rationis ope in rebus diuinis citius dixerim, quid non sit, quam quid sit, ut cum Simonide desperem omnem veritatem. *Cicero* de N. D. l. I. c. 21 et 27. Eadem *Lutherus* docet in opp. passim.

e) Si recipimus aduersariorum doctrinam, quod mereamur operibus rationis remissionem peccatorum, nil iam intererit inter *iustitiam philosophicam*, aut certe pharisaicam et christianam. *Melanchthon* in apolog. C. A. art. 2. init. *Der rechte Standpunkt*, in m. Magazin für christl. Prediger, t. VI. p. 1. Hannover 1822. p. 1 ss.

§. 37.

De supernaturalismo in universum.

Alium igitur ducem sequuntur defensores *supernaturalismi*, hoc est systematis theologici, quod nititur fundamento reuelationis Dei sine medio [a]). Contendunt nimirum, firmam atque stabilem religionis doctrinam sine hoc principio condi haud posse, idque *primum* argumentis e re-

rum natura petitis. Est enim creatio atque conseruatio mundi actio Dei aeterna, adeoque immediata; origo animarum sine singulari numinis concursu explicari nequit; summum animi humani moderamen pendet a Dei voluntate, atque ipsa religionis uniuersalis primordia testantur singulare hominum primaeuorum cum numine commercium. *Deinde* ita comparatum est christianae doctrinae argumentum, ut sine munere Christi a patre filio vere et proprie demandato (Matth. XI, 27. Ioh. III, 16. V, 23. XVII, 4. 1 Cor. I, 30. 2 Cor. V, 19 s.) stare nequeat [b]). Ex ipsis *denique* ecclesiae christianae symbolis, tum uniuersalibus, tum particularibus, luculenter patet, prima religionis christianae initia ad ipsum Dei in procuratione salutis humanae interuentum reuocanda esse [c]).

a) „Wir erkennen in dem Christenthume eine Kraft, die den Charakter des *Uebernatürlichen* trägt; weshalb wir ihren Eintritt in die Erscheinung auf die *göttliche Causalität* zurückzuführen, oder als eine *neue Schöpfung* zu betrachten nicht umhin können.“ *Twesten* a. a. O. p. 396.

b) *Stäudlins* Geschichte des Rationalismus und Supernaturalismus. Göttingen 1826. p. 27 ss. *Hagel's* Theorie des Supernaturalismus. Sulzbach 1827. Abschn. I.

a) *Symb. apost.* tot. *August. conf.* art. III. *Confess. Helvet.* c. XI.

§. 38.

De supernaturalismo impuro et superstitioso.

Differt tamen *supernaturalismus purus*, vel *rationalis* ab *impuro* et *superstitioso*, qui literas et apices codicis sacri, vel symbolici qualiscunque mordicus tenens e commentis suis corpus doctrinae coagmentat sine ratione. Solent quidem hoc modo coecutientes, saltem luscitiosi, opinionibus suis veri speciem conciliare superbo rationis contemtu et odio, pio cultu s^ae^. s^ae^., antiquitatis recte credulae ipsiusque *Lutheri*, discrimen veritatis theologicae et philosophicae efficiose urgentis [a]). Facile tamen intelligitur, eos reuelationem et verbum Dei foedo errore confundere cum libris sacris, diuinae doctrinae inuolucris; sanae rationis usum ubique a Christo et apostolis commendari (Matth. VI, 22. Ioh. VIII, 34. XVIII. 36 s. Act. IX, 22. XVII, 2. Rom. III, 28.); veritatis duplicis commentum in nostra ecclesia dudum esse reiectum [b]), et sine adcurato philosophiae studio neque scripturam intelligi, neque fanaticorum errores compesci, neque in uniuersum diuina ab humanis certa lege dignosci posse [c]).

a) Theologische Abhandlung von der Frage: ob der theologische Satz, *das Wort ward Fleisch*, in der Philosophie wahr sei? Opp. ed. *Walch*, t. X. p. 1397 ss. Schlufsrede wider *die Theologie der Schullehrer*, t. XVIII. p. 6 ss. Retractauit

tamen *Lutherus* sententiam suam in egregia disputatione *de homine* (a. 1536. opp. t. XIX. pag. 1777.), qua *rectam rationem* summis laudibus ornat.

b) Per occasionem litis a *Daniele Hofmanno* motae: vide *Walch's* Einleit. in die Streitigkeiten der evangel. Kirche, t. IV. p. 315 ss. *Buddei* isagoge histor. et theolog. Lipsiae 1730. p. 211 s. 1558 ss.

c) *Leibnitius* de conformitate fidei et rationis, in praefatione Theodiceae gallice scriptae. Amstelodami 1710. *Ioecheri* libellus bonae frugis plenus: Philosophia haeresium obex. Lips. 1732. 4. *Von der Verschreiung der Vernunft auf den Kanzeln*, in *Lessing's* Beiträgen zur Geschichte und Literatur. Braunschweig 1777. p. 265 ss.

§. 39.

De supernaturalismo puro et rationali.

In longe alia abit *supernaturulismus purus* et *rationalis*, qui cognitionem Dei salutarem per Christum nobis suppeditatam cum religione uniuersali ubique, legibus sanae rationis conuenienter, arctissimo vinculo coniungit. Hoc igitur systemate religio naturalis, hoc est *veri Dei cultus* a Mose et prophetis informatus, *fundamenti* loco ponitur; docetur simul, eum *a Christo*, singulari Dei prouidentia coelitus demisso, *euangelii donis auctum* et *locupletatum* esse; regni autem diuini, per Christum nobis patefacti, ordinem *ethicis animi humani legibus attemperari*

adeoque *gradatim cognosci* (2 Cor. III, 18.); *legem naturae* Rom. II, 14 s.) cum *lege fidei* (Rom. III, 27—31.) *summa continuitate necti* propereaque in humana cognitione nunquam diuellendam esse. Exinde consequitur, subtilem et adcuratam religionis disciplinam *e sententiis* s^ae^. s^ae^. *classicis* et primariis (Prov. XX, 21. Gal. I, 8. 2 Tim. II, 19.) *hauriri*, *mysteria* et *miracula* non *cumulari* [b]), sed *suo loco reponi* omnemque *systematis compagem ita construi* debere, ut *notiones* et *facta a principiis* et *ideis* pendeant et *mediata numinis cognitio* ubique in *immediatam* eius *conscientiam desinat* [c]).

a) Veritatem *connexionis* et *sententiae*, hoc est unitatem veritatis naturalis et reuelatae iam *Augustinus* defendit (de *doctrina christ.* l. II. c. 33. *contra Donatistas* l. I. c. 14.) et inter nostrates *Calouius* (system. loc. theolog. t. I. p. 358 ss.). Adde eruditissimum *Tittmannum* nostrum: *über Supernaturalismus*, *Rationalismus und Atheismus.* Leipzig 1816. p. 214 ss. *Schirmer's* Versuch einer wissenschaftl. Würdigung des Supernaturalismus und Rationalismus. Leipzig 1818. *Kähler's* Supernaturalismus und Rationalismus in ihrem gemeinschaftlichen Ursprunge. Ebendas. 1818.

b) Sic per cumulationem miraculorum iam *Gennadius Massiliensis* (de dogmatibus ecclesiasticis, c. 99.) damnat Helvidii sententiam: *ante partum Mariam fuisse virginem*, *post partum non fuisse.* Hoc enim testantur Lucas (II, 22.) et Matthaeus (I, 21. XII, 48 s. Act. I, 14.). Aliis locis (Matth.

XIV, 24. Ioh. XIX, 34. XX, 19.) ne euangelistae quidem de miraculis proprie sic dictis cogitauisse videntur. Sapienter itaque in subsidium vocanda sunt, ut iis utamur tanquam fulmine, non ut grandine.

e) Hoc sensu supernaturalistas fuisse antiquissimos ecclesiae patres docuit b. *Stäudlin* (Geschichte des Rationalismus und Supernaturalismus. Göttingen 1826. pag. 27 ss.). Adde librum utilissimum: *Schott's* Briefe über Religion und christlichen Offenbarungsglauben. Iena 1828. p. 516 ss. M. Abhandlung: *die evangelische Glaubenslehre*, in der unveränderlichen Einheit der evangelischen Kirche. B. I. H. 4. p. 18 ss.

§. 40.

De mysteriis dogmaticis.

Mirari itaque haud subit, in disciplina sacra occurrere *mysteria*, sensu non tam biblico (Matth. XIII, 11. 1 Cor. II, 7. Col. IV, 3.), quam acroamatico, quo *doctrinae fidei* esse dicuntur *rationis limites egredientes* [a]) (Psalm. CXXXIX, 6.). Distinguuntur qua *argumentum* in *vera*, quae natura sua homines latent, et *falsa*, quae agyrtarum fraudibus vulgo idiotarum obiiciuntur; qua *cognitionem* in *hypothetica*, quae nonnullorum, et *absoluta*, quae omnium captum superant; qua *fontem* in *naturalia* (Hiob. XXXVIII, 4—11.) et *biblica*, quibus adnumerant *trinitatem Dei* in *unitate* (Matth. XXVIII, 19.), *primordia vitae Iesu Christi* (1 Timoth. III,

15 s.), *coniunctionem eius moralem cum ecclesia* (Ephes. V, 32.), *transfigurationem viuentium in altero seculo* (1 Cor. XV, 51.) et *pleniorem Dei cognitionem in vita beata* (Matth. V, 8. 1 Ioh. III, 2). Probatur autem *veritas* mysteriorum e natura eorum logica, quae est anticipatio *modi* incogniti ad perficiendam cognitionem *sententiae certae* [b]); e tenuitate rationis humanae, quae neque causas, neque fines rerum satis cognoscit, tantum abest, ut essentiam earum adsequatur; ante omnia autem e sublimitate theologiae, tum naturalis [c]), tum christianae, qua in summam prouidentiae admirationem (Rom. XI, 33.) abripimur. *Vsus* mysteriorum est, ut omnem cognitionis caliginem, quoad eius fieri potest, adsidua meditatione excutiamus, in iis autem, quae nunc plena luce perfundi nequeunt, futurae vitae scholam instructiorem exspectemus (1 Cor. XIII, 12.).

a) Vide *Suiceri* thes. eccles. v. μυστήριον: *Leibnitii* theodiceam praef. *Döderlein's* christl. Religionsunterricht, t. III. p. 30 s. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 312 ss. *Reinhold's* Beiträge zur Berichtigung der Mifsverständnisse unter den Philosophen, t. III. p. 365 s. *Friesens* Wissen, Glaube und Ahnung. Iena 1805. p. 252 f.

b) V. c. conscientiae perennitas post mortem ad fidem perfectae immortalitatis *necessaria*, quamvis *modus* huius sempiternitatis in animo fatis superstite plane ignoretur. In omni igitur mysterio vero *sententia* ipsa (ὅτι) certa esse debet, licet *modus* (πῶς) in abstruso lateat.

c) V. c. in doctrina de aeternitate Dei, creatione et conseruatione mundi, origine animarum, gubernatione intellectus humani, forma vitali animarum in altero seculo.

§. 41.

De mysticismo.

Abusus mysteriorum gignit *mysticismum*, hoc est *procliuitatem ingenii ad mysteria excogitata et commentitia cupidam*, inde a Clemente Alexandrino per falsam arcanorum Christi (Ioh. XVI, 12.) traditionem in ecclesiam introducta. *Oritur* enim ex ingenii simplicitate, imaginationis et sensus interni, acumine intellectus nondum subacti, impotentia, ignorantia principiorum cognoscendi, puerili scriptorum sacrorum interpretatione, feruore pietatis inepto (Rom. X, 2.) et superbia fanatica atque perniciosa. Incurrit autem in oculos, tam foedum aetatis nostrae morbum neque cum recto rationis usu, neque cum luce Christi (Ioh. XII, 46.) et fidei puritate (Col. II, 18. 1 Tim. VI, 4.), neque cum vera et genuina pietate (1 Tim. I, 5.) stare posse.

Kant's Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft. Königsberg 1795. p. 211 ss. *Arnold's* Beschreibung der mystischen Theologie. Erf. 1703. *Duttenhofers* Geschichte der Religionsschwärmereien in der christlichen Kirche, B. I—III. Heilbronn 1796 f. *Ewald's* Briefe über die alte Mystik und den neuen Mysticism. Leipzig 1822.

PARTICVLA QUINTA.

DE

THEOLOGIAE CHRISTIANAE IN FORMAM ARTIS REDACTAE HISTORIA BREVISSIMA.

§. 42.

Aetas prima a Paulo usque ad Lanfrancum (*a. Chr.* 40—1005.).

Fides priscae ecclesiae (1 Timoth. III, 15 s.) primum *formula baptismi* (Matth. XXVIII, 19. Act. VIII, 37 s.), deinde *symbolo apostolico* comprehensa tum per occasionem *controuersiarum* cum *haereticis*, tum subtilitate *Clementis Alexandrini* et *Origenis*, vel maxime autem per opportunitatem *institutionis catecheticae*, cuius formam reliquit *Cyrillus Hierosolymitanus* (a. 350) [a]), et *summariae*, cuius exempla debemus *Augustino* (a. 400) [b]), ita sensim amplificata est, ut iam seculo quinto, teste *Gennadio Massiliensi* (a. 490) [c]) et *Iunilio Africano* (a. 550) [d]) corpusculum doctrinae publicae repraesentaret. Locupletatam nouis subinde conciliorum decretis disciplinam sacram iam *Isidorus* Hispalensis [e]) (a. 550), *Leontius Cyprius* [f]) (a. 600) et *Iohannes Damascenus* [g]) (a. 730) propagarunt et in singulos locos digesserunt.

a) *Heinrich's* Versuch einer Geschichte der ver-

schiedenen Lehrarten der christlichen Glaubenswahrheiten. Leipzig 1790. p. 57 ss. *Moshemii*, commentarii de rebus Christianorum ante Constantinum M. Helmstadii 1758. pag. 272 ss. *Cyrilli* Hieros. catecheses in eius opp. ed. *Touttée*. Parisiis 1720.

b) De *doctrina christiana*, libri IV. *Enchiridion* ad Laurentium de *fide*, *spe* et *caritate*. De *fide* et *symbolo*.

c) De *dogmatibus ecclesiasticis*, ed. *Elmenhorst*. Hamb. 1614. Praeiuerat *Vincentius Lerinensis* in commonitorio adu. *haereticos* duplici, libello satis memorabili.

d) *De partibus diuinae legis*. Francof. 1603.

e) *Sententiarum libri III*. Colon. 1617.

f) *Loci communes theologici* e patribus contexti. Vide *Cavii* script. eccles. hist. liter. Oxfordii 1740. t. I. p. 550.

g) De *orthodoxa fide* l. IV.

§. 43.

Aetas secunda a Lanfranco usque ad Lutherum (a. 1005 — 1540).

Doctrinam Christianam superiori aeuo *Platonicorum*, *Eclecticorum* et *Mysticorum* studiis agitatam excepit post *Lanfranci* [a]) (a. 1070), *Roberti Pulleni* [b]) (a. 1140) et *Anselmi* (a. 1100) [c]) diligentiam *Scholasticorum* sagacitas, qua, duce *Aristotele*, undique congesta sacrarum idearum ubertas technis dialecticis minutatim in notiones subtilissimas discerpe-

batur. Agmen ducit *Petrus Abelardus* (a. 1130)[d], qui arcem religionis christianae quaesiuit in trinitatis doctrina: pone sequitur *Petrus Lombardus* (a. 1150), qui primus disiectae fidei membra scite coagmentauit ad corporis [e]) formam; excepit eum *Alexander Alesius* (a. 1230), dialecticae subtilitatis peritissimus[f]). Aequalis huic aetate floruit *Albertus Magnus* (a. 1240) [g]), albam philosophorum amussim subinde in plumbeam suae doctrinae regulam conuertens; prope abest *Thomas Aquinas* (a. 1255)[h]), angelici nomine insignis: superatur tamen acumine a *Iohanne Duns Scoto* (a. 1300)[i]), formularum scholae auctore foecundissimo. Tertiae aetatis scholasticae antesignanus habetur *Durandus* a *Sancto Porciano* (a. 1320)[k]), suo iudicio ubique multum tribuens; neque tacendus est *Guilielmus Occam* (a. 1330)[l]), qui ecclesiae Gallicae libertatem aduersus papam Bonifacium fortiter defendit; cogit agmen *Nicolaus de Lyra* (a. 1336)[m]), scripturae sacrae interpres haud ineptus ipsique Luthero carus. Neque defuere per omnem huius aetatis decursum, qui duce *Bernhardo Clarevallensi* (a 1115)[n]) doctrinam *mysticam* defenderent et ex puluere scholastico subinde aurum fidei conflarent[o]).

a) *Libello de corpore et sanguine domini contra Berengarium.*

b) *Sententiarum de trinitate*, lib. VIII.

c) *Monologio: proslogio: contra insipientem*, cet.

d) *Introductione ad theologiam*, libr. III. quos ipse adpellauit *opusculum de fide et trinitate.* Deinde *libro sententiarum Sic* et *Non* dicto.

e) *Sententiarum*, libris IV.

f) *Summa universae theologiae* in IV. partes distributa.

g) *Summa theologiae* in duas partes diuisa.

h) *Summa theologiae* in IV. partes diuisa, quae 512. *quaestiones* et 2654. *articulos* continet.

i) *Auctore quodlibetar.* et *commentar.* in *libros IV. sententiarum.*

k) *Commentariis super libros IV. sententiarum.*

l) *Quaestionibus super 4 libros sententiarum* et *in centiloquium theologicum.*

m) *Tractatu* de differentia nostrae translationis ab hebraica litera in V. T. Deinde edidit *praeceptorium*, siue expositionem in decalogum legis diuinae.

n) De *diligendo Deo:* de *gratia* et *libero arbitrio.* De *erroribus Petri Abelardi. Tractatus* ad *Hugonem* de *S. Victore* de quibusdam quaestionibus ab eo propositis.

n) De philosophia et theologia huius aetatis accurate exposuit b. *Buhle* in libro: Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. Götting. 1800. t. V. p. 101 ss. quo loco etiam fontes historiae apertos videbis.

§. 44.

Aetas repurgatae fidei. *Prima periodus a Luthero usque ad Gerhardum,* (a. 1517—1627).

Instauratam et euangelico robore per *Lutherum* a) firmatam fidem in locos primarios digessit *Melanchthon* b), quem per integrum seculum *Strigelius* c), *Chemnitius* d), *Hütterus* e) et *Gerhardus* f), liberalitate fere pari, eruditione tamen et successu impari secuti sunt. In eo tamen consentiunt omnes, ut, repudiatis Scholasticorum tricis atque tendiculis, *fundamentis biblicis* inaedificent, articulos de *Christi persona* et *iustificatione* per eum parta admodum subtiliter tradant, *Pontificiorum*, *Iesuitarum* et *Fanaticorum* errores acriter perstringant et *disciplinam pietatis* cum *doctrina fidei* arctissime coniungant g).

a) Singularem religionis epitomen, si a catechismis discesseris, *Lutherum* haud concinnauisse, satis notum est. Possent tamen, quae sigillatim de omnibus ecclesiae nostrae dogmatibus praecepit vir immortalis, facili negotio congeri et ad similitudinem corporis articulari.

b) In *locis communibus rerum theologicarum*, seu *hypothesibus theologicis* primum editis Viteber gae 1521. Inde ab anno 1535—1572 auctius repetiti sunt cum epigraphe: *loci communes theologici recens collecti et recogniti.*

c) Vide eius *locos theologicos* editos a *Pezelio*. Neapoli Nemetum 1582 s. 4. tom.

d) *Chemnitii locos theologicos* edit. *Leyser*. Viteb. 1610. tom. III.

e) In *locis communibus theologicis* e sacris literis diligenter erutis. Viteb. 1619.

f) In *locis theologicis* ed. a *I. Fr. Cotta*. Tubing. 1762—1781. t. I—XX. et ind. duplici.

g) *Ioh. Franc. Buddei* isagoge in theologiam uniuersam. Lips. 1730. inde a p. 334 ss. ad omnem hancce sectionem conferenda est.

§. 45.

Secunda periodus a Gerhardo usque ad Buddeum (a. 1621—1723).

Nouam iterum doctrinae formam praeparauerunt *Georgius Calixtus* (a. 1625) [a]), *Hunnius* (a. 1630), *Hülsemannus* (a. 1640) [b]), *Brochmandus* (a. 1645), *Calouius* (a. 1660) et *Quenstedtius* (a. 1685), uterque ecclesiae Vitebergensis antesignanus et vindex. Etenim post diuisam a *Calixto* theologiae dogmaticae et moralis institutionem et liberatam mentem Dei consciam a fidei historicae iugo, iam liberius disputare coeperunt doctores, Socinianorum praesertim et Arminianorum aculeis perciti, de superbo philosophiae contemtu, de ecclesiarum concordia partium studiis turbata, de recta interpretatione scripturae sacrae et idoneo doctrinae christianae fundamento, quod Vitebergenses, vellent, nollent, postliminii

iure in literali codicis sacri adflatu coelesti inuenisse sibi visi sunt.

a) In *epitome theologiae*, cuius prima ed. 1619. ultima Helmstadtii 1661. lucem vidit.

b) In *epitome credendorum*. Vitebergae 1665.

c) In *breuiario theologico*, cuius prima ed. 1640. ultima 1687. Lipsiae prodiit.

d) In *systemate universae theologiae*. Havniae 1633. Vlmae 1658. fol.

e) In *systemate locorum theologicorum*. Vitebergae 1655—1677. 12 Voll. in 4to.

f) In *theologia didactico-polemica*. Viteb. 1688 s. Lips. 1602 s. 2 Voll. in fol.

§. 46.

Tertia periodus a Buddeo usque ad Semlerum (*a.* 1723—1774).

Humanam autem atque externam, quam viri politici suis legibus conciliare student, auctoritatem nullo modo convenire in codicem sacrum, diuinae veritatis fontem, idoneis statim argumentis probatum est. *Buddeus* enim (a. 1720 s.) [a]), *Baumgartenius* (a. 1754) [b]) atque *Semlerus* (a. 1774 s.) [c]) meliora ubique, historia praesertim duce, congesserunt; *Reinbeckius* (a. 1730) [d]), *Carpouius* (a. 740) [e]) et *Schubertus* (a. 1756) [f]) Wolfianae sapientiae riuulis hortum christianum irrigauere; *Spenero* (a. 1700 s) [g]), *Freylinghausenio* (a. 1730) et *Rambachio* (a.

1740) [h]) ascetica pietas placuit e pragmatico scripturae sensu derivata, a *Michaele* (a. 1760) [i]) tamen et *Tellero* (a. 1763) [k]) liberaliter temperata; *Moshemius* autem (a. 1750) [l]) et *Heilmannus* (a. 1764) [m]) puriorem doctrinam eruditione solida defendere conati sunt. Qua re factum est, ut antiquae fidei castella coniunctis historiae, philosophiae et criticae artis viribus obsiderentur, custodes autem olim vigilantissimi, iam in arcem recepti, nova auxilia circumspicerent.

a) Edidit *institutiones theol. dogmat. variis obseruationibus illustratas.* Lips. 1724 in 4to repet. 1741.

b) *Evangelische Glaubenslehre* mit Anmerk. und Vorrede von *Semler.* 3 B. Halle 1759.

c) *Institutio ad doctrinam christianam liberaliter discendam.* Halae 1774.

d) *Betrachtungen über die in der Augsb. Confession enthaltene und damit verknüpfte göttl. Wahrheiten.* Berlin 1731 s. 4. Th.

e) *Theologia revelata dogmatica, methodo scientifica adornata.* t. IV. Francof. 1737 s.

f) *Compendium theol. dogmaticae.* Helmst. et Halae 1760.

g) *Allgem. Gottesgelahrtheit aller gläubigen Christen und rechtschaffnen Theologen.* Frankf. 1682 rep. 1723.

h) *Grundlegung der Theologie.* Halle 1718, zuletzt 1767.

i) *Dogmatische Theologie*, oder christl. Glaubenslehre, herausg. v. *Heubner.* Frankf. 1744.

k) *Compendium theolog. dogmaticae.* Gotting. 1760. *Dogmatik.* Tübingen 1785.

l) *Lehrbuch des christl. Glaubens.* Helmst. 1763.

m) *Elementa theologiae dogmaticae* ed. de *Windheim.* Norimb. 1758. rep. 1764. 2. voll.

n) *Compendium theologiae dogmaticae.* Gotting. 1761. rep. 1780.

§. 47.

Quarta periodus a Semlero ad nostram usque aetatem (*a.* 1774—1830).

Ab hoc inde tempore ita pugnauerunt ecclesiae milites, ut *primam* aciem occuparent symbolicae doctrinae vindices, *Seilerus*, *Storrius*, *Reinhardus*, *Knappius*, *Hahnius*, non ubique tamen in sententias magistrorum iurantes [a]): in *alteram* procederent interpretes scripturae et symbolorum critici, *Doederlinus*, *Morus*, *Staeudlinus*, *Bretschneiderus*, *de Wette*, *Schottius*, *Cramerus*, *Twestenius* [b]); in *tertiam* escenderent rationis scriptura superioris auxiliarii *Grunerus*, *Eckermannus*, *Henkius*, *Wegscheiderus*, *Tzschirnerus* [c]); ad praelium *redintegrandum* denique nouis copiis instructi aduentarent *Marheineccius*, *Schleiermacherus* atque *Hasius* [d]). Quaenam pars superior discesserit, nondum constat propter circumfusam digladiantibus mysticorum, qui tanquam Numidae interuenerunt proelio, caliginem. Peruenit tamen aetas no-

stra ad eam sanioris doctrinae maturitatem, ut, consopitis atque exstinctis ante omnia internecinis Lutheranorum et Reformatorum odiis, iam novum sacrae disciplinae seculum condi atque inaugurari queat, nisi ecclesia recens consociata nefastis partium technis et fraudibus denuo in studia contraria scindatur.

a) *Seileri* theologia dogmatico-polemica. Erlangae 1774. rep. 1788. *Storrii* doctrinae christianae pars theoretica. Stuttg. 1793, deutsch von *Flatt.* ebend. 1803. *Reinhard's* Vorlesungen über die Dogmatik, herausgeg. von *Berger.* Sulzb. 1801. 4te Aufl. mit Zusätzen von *Schott* 1818. *Knapp's* Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre, herausgeg. von *Thilo.* 2. B. Halle 1827. *Hahn's* Lehrbuch des christl. Glaubens. Leipzig 1828. Conf. *Miltoni* de doctrina christiana libri duo posthumi edit. a *Sumnero.* Brunsvici 1827. His enim perlectis facile perspicietur, num e dictis scripturae indiscriminatim collectis firma doctrinae sacrae compages adstrui queat.

b) *Doederlini* institutio theologi christiani. Norimb. 1780. ed. VI. 1797. Dessen christl. Religionsunterricht. Ebend. 1780—1808. 12 B. *Mori* epitome theologiae christianae. Lips. 1789. edit. 4. 1799. *Stäudlin's* Lehrbuch der Dogmatik und Dogmengeschichte. Göttingen 1798. 4te Ausgabe 1822. *Bretschneider's* Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche. Dritte Auflage. Leipz. 1828. 2. B. *Dessen* systematische Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe. Zweite Aufl. Leipzig 1819. *De Wette's* Lehrbuch der christlichen Dogmatik.

Berl. 1817. *Schottii* epitome theol. christ. Lips. 1811. *Cramer's* Vorlesungen über die christl. Dogmatik, herausgeg. von *Näbe.* Leipzig 1829. *Twesten's* Vorlesungen über die Dogmatik. Erster Band. Zweite Aufl. Hamburg 1829.

c) *Gruneri* institutt. theol. dogm. libri III. Halae 1777. *Eckermanni* compend. theol. christ. theoreticae. Altonae 1791. ed. 2. 1792. *Dessen* Handbuch zum Studium der systemat. Glaubenslehre. Ebend 1801 s. 4. B. *Henkii* lineamenta institutionum fidei. Helmst. 1791. repet. 1795. *Wegscheideri* institutt. theol. dogm. Halae 1815. ed. VI. 1828. *Tzschirner's* Vorlesungen über die christl. Glaubenslehre, herausg. von *Hase.* Leipzig 1829.

d) *Marheineke's* Grundlehren der christl. Dogmatik als Wissenschaft. Zweite Aufl. Berlin 1827. *Schleiermacher's* christl. Glaube nach den Grundsätzen der evangelischen Kirche im Zusammenhange dargestellt. 2. B. Berl. 1822. *Hase's* Lehrbuch der evangelischen Dogmatik. Stuttg. 1826. *Dessen* Gnosis, oder evangelische Glaubenslehre für die Gebildeten in der Gemeinde wissenschaftlich dargestellt. 3. Bd. Leipz. 1827 — 1829.

PARS PRIMA.

DE

DEO IN VNIVERSVM.

PARS PRIMA.

DE

DEO IN VNIVERSVM.

SECTIO I.

DE

NVMINIS IDEA, EXISTENTIA ET NATVRA.

---

§. 48.

Nomina Dei.

Numen supremum recte natura sua existimatum est *ἀνώνυμον*, quia nomina ei indita maximam partem siue cultus *ἐγχωρίου*, siue humanae conditionis vestigia produnt [a]). Praeiuere tamen literae *sacrae* compellationes eius haud paucas, inter quas nomina יהוה, עליון, חי, שדי, אלוה, אל, אדוני, Θεὸς, Κύριος, *ὁ ζῶν*, *ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων*, *πατὴρ*, *κτίστης πάντων* inprimis eminent [b]). Auctores Graeci *θεὸν*, *Δία*, *πατέρα πάντων*, *δαίμονα*, *δημιουργὸν*, *ἡγεμόνα πάντος*, Ἰάω; *Romani Deum* et *numen*, *nostrates Gott*, *den Herrn*, signo recepto et omnibus fere communi celebrant [c]). Rarius occurrunt nomina Dei vni-

uersalia (abstracta), v. c. θεῖον, θειότης (Act. XVII, 29. Rom. I, 29.), ὕψιστον, שׁם, כבוד, *numen*, *diuinitas*, *die Gottheit*, quibus intellectus magis in meditationes diuinas porrigi, quam animus ad sensus pios excitari videtur [d]).

a) Πάντα γὰρ μέρη κόσμου, οὐδὲν δὲ μέρος ὅλου Θεός. *Origenes* contra Celsum l. I. p. 18 sq. ed. Spenceri, *Cudworthi* systema intell. edit. Mosheim c. IV. §. 14. p. 294 sq. *Pfanneri* systema theol. gentil. pur. Basil. 1679. p. 54 sq.

b) *Gerhardi* loc. theol. ed. Cottae t. III, 1 sq. III, 98 sq. *Zachariae's* bibl. Theologie, ed. 3. t. I. p. 186 sq. M. biblische Theologie, ed. 2. t. I. p. 81 sq. Decas exercitatt. philolog. de vera pronunciatione nom. *Iehoua*, ed. *Relandi*. Traiecti ad Rhen. 1707, et in contrariam sententiam *Gatacker* de nomine Dei tetragrammato, in opp. crit. Traiecti ad Rhenum 1798. append. p. 23.

c) *Cudworth* l. c. 297 sq. De v. *Gott* vide libros symbol. ed. *Rechenbergii*, p. 409. *Schilteri* et *Adelungii* Lexica h. v. *Lennepii* etymologicum graecum v. θεός: *Hinckelmannii* praef. in Coranum. *Fundgruben des Orients*. Wien 1814. B. IV. p. 160 ff.

d) Exempla dat *Herodot*. III, 202. (edit. Valck.) ἡ πρόνοια τοῦ θείου. *Cornel. Nep.* Timol. c. 4. sacellum τῆς αὐτοματίας (vbi vid. b. Harlesius). In eundem errorem etiam incidisse videntur *Hypsistarii*, Deistarum quinti seculi genus, quod Deum *supremum* quidem coluit, ita tamen, ut *patris* nomen et indolem in eum haud conuenire putaret. Vide doctissimam *Vllmanni* commentationem *de Hypsistariis*. Heidelbergae 1823.

§. 49.

De recta idea Dei.

Antecesserat autem insignem nominum diuinorum copiam mira *notionum*, ab imaginibus humanis sensim ad ideas puriores euectarum, diuersitas. Legimus enim, vel in ipsis literis sacris Deo tribui *speciem humanam* (Gen. I, 2. II, 7. Exod. XXXII, 19 sq.), *naturam spirabilem* (1 Reg. XIX, 12.), *luminisque inaccessi* (1 Tim. VI, 16.) *coronam* [a]), quibus locis Anthropomorphitae [b]) et Pantheismi adseclae [c]) postea vehementer abusi sunt. Patet tamen, Dei, qui ab omnibus *natura absolutissima* esse putatur, notionem veram nec ab experientia et imaginatione [d]), nec ab ipso intellectu, sed a ratione, quae *idearum* fons et mater est [e]), proficisci debere, et hactenus *insitam* animis humanis probabiliter existimari [f]). Habemus itaque, quod lubentissime amplectamur doctrinam Christianam de Deo, *spiritu purissimo et perfectissimo*, *mundi creatore et rectore* (Ioh. IV, 23. Act. XIV, 15. XVII, 24—29. coll. Ies. XLV, 18. Rom. I, 19 sq.) adeoque ὑπερκοσμίῳ [g]); in hac enim ipsa philosophorum sagacitas acquiescere debet [h]), qua tanquam *Deus Deûm*, *magnorum potior*, *maiorum summus*, *summorum maximus*, *maximûm regnator* animo nostro sistitur [i]).

a) *Morus* in opusc. theolog. I, 328 sq. *Reinhold's* Geschichte des Begriffes *Geist* in den Briefen über

die Kantische Philosophie, p. I. pag. 270 sq. u. biblische Theologie. Th. I. p. 37 sq.

b) Cf. *Tertullianum* de carne Christi, c. XI. *Cyrill.* Hierosolymit. catech. VI. §. 8. *Epiphan.* haeres. LXX. de Audio, anthropomorphitarum strenuo propugnatore: *Lactantium* institut. lib. IV. c. 30. *Socratem* H. E. VI, 7. *Sozomenum* VII, 11. 12. Neque silentio praetereundus est b. *Doederlinus* im christlichen Religionsunterricht, tom. IV. p. 215 sq.

c) *Spinozae* ethic. p. I. §. 6. *Gundlingiana*, St. XIV. p. 1. *Schelling's* Denkmal der Schrift Iacobi's von den göttlichen Dingen. Tübin. 1812. p. 50 ff.

d) Egregie *Cyprianus* „Deus nec *videri* potest, visu clarior est, nec *comprehendi*, tactu purior est, nec *aestimari*, sensu maior est; ideo sic eum digne aestimamus, dum *inaestimabilem* dicimus (*de vanitate idolorum* c. V.)." Adde *Minucii Felicis* dictum: „si *patrem* dixeris, terrenum opineris, si *regem*, carnalem suspiceris, si *dominum*, intelliges utique mortalem (*Octauii* c. 18.)."

e) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 595 sq. von dem Ideale der reinen Vernunft. *Iacobi* von den göttlichen Dingen. Leipzig 1811. pag. 198. *Daub's* Einleitung in das Studium der Dogmatik, p. 99. 256. 291. 328.

f) *Discere nihil aliud esse*, *quam recordari*, nota est sententia *Socratis* (*Ciceron.* quaest. Tuscul. I. 24.), qui *deriuationem* finitorum ex idea Dei infinita *recordationem* esse putabat. Rectius senserat *Epicurus*, qui ipsam fidem πρόληψιν τῆς ἐπιστήμης adpellauit, *anteceptam animo Dei informationem*, sine qua nec intelligi, nec de eo quaeri et

disputari possit (*Cicero* de nat. Deor. I, 16—18. 37,). Adde *Iamblichum* de mysteriis Aegyptiorum, Sect. I. c. 3. qui locus princeps est de θεοσεβείᾳ insita, et *Calouii* system. t. II. p. 27 s.

g) *Mens soluta et libera, omnia sentiens et mouens, ipsa praedita motu sempiterno, quae tota est ratio et non, nisi ratione, cogitari potest*, adpellatur apud veteres: *Plutarchum* in vita Numae c. 8. (opp. ed. Reiskii I, 258.), *Ciceronem* (fragm. philos. edit. Bip. XIII, 319.), *Iosephum* (contra Apion. II, 22. qui locus insignis est), *Senecam* (quaest. natur. praef. lib. I.). Adde librum *Weissii* von dem lebendigen Gott. Leipzig 1812. p. 19 s. 215.

h) Cf. *Chemnitii* loc. theol. Francof. 1699. t. I. p. 58. *de definitione* Dei: *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 641 sq.: *Meinersii* historia doctrinae de vero Deo. Lemgo 1780. *Daubii* theologumena, §. 18. *Fries's* neue Kritik der Vernunft, Th. II. p. 256 ff.

i) Verba *Apuleii* in metamorphos. l. XI. fine. Cf. *Kant's* Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 12 s.

§. 50.

De veritate ideae diuinae eiusque argumentis in vniuersum.

Nuda tamen numinis cogitatio nondum indicat cogitationis diuinae veritatem, quae ab argumentis, propterea que a *probatione idonea* pendet. Fuere quidem, qui negarent, eam vnquam probari pos-

se, praetexentes, per abusum Deo tribui essentiam, vel existentiam [a]); demonstrationem tantum in rebus mathematicis, vel sensibus subiectis locum habere [b]); Deum, qui nos teneat, non a nobis teneatur, ipsum esse indicem sui et per se cognosci, ideoque aliis argumentis plane non opus esse [c]). Profligamus autem rhetoricationes istas, docentes, naturam constantissimam veramque οὐσίαν numini ante omnia inesse debere, quia nunquam mutatur (Exod. IV, 14. Ies. XLI, 4. Act. XIV, 15. Hebr. XI, 6. Apoc. I, 4.) [d]); deinde probationem non in geometricis tantum, sed in omnibus disciplinis locum habere, quae sententias contineant e principiis derinandas idoneamque rationis *deductionem* admittant [e]); postremum cogitationis diuinae veritatem non sapientibus hominibusque perfectis monstrari, sed incultis ingeniisque nondum adultis, quorum est, *quaerere Dominum* (Act. XVII, 28.), quamuis vbicunque, prope et intus sit [f]). Necesse est itaque, veram numinis existentiam ante omnia firmari atque vindicari, ne tironum fides sophistarum scopulis illidatur, nostris praesertim diebus hominum παραδοξοφίλων naufragio famosis (1 Tim. I, 19.) [g]).

a) *Tertullian.* adu. Hermog. l. I. *Augustinus* de trinitate, l. VII. c. 5. *Fichte's* Anweisung zum seligen Leben, p. 83 sq.

b) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 667. *Mellin's* encyklop. Wörterbuch der kritischen Philosophie v. *Beweis.* *Fries's* neue Kritik der Ver-

nunft, t. I, pag. 278. *Iacobi* von den göttlichen Dingen, p. 137.

c) *Daubii* theologum. §. 34. *Clodius* allgem. RL. p. 77—49. *Fries's* Wissen, Glaube und Ahndung. Iena 1805. p. 118.

d) Cf. *Moshemii* dissertat. de creatione ex nihilo, *Cudworthii* systemati intell. iunctam, §. IV—XIX.

e) Probamus sententiam theologicam qualemcunque, dum ostendimus, *eam non imaginandi arbitrio, vel licentia, sed summa rationis lege atque necessitate concipi.* Cf. P. *Lombardi* libros IV. sententiarum l. I. distinct. 3. *Cudworthii* syst. p. 880 sq. *Fries's* neue Kritik, I, 284. *Schott's* Briefe über Religion und christl. Offenbarungsglauben. Iena 1826. p. 26 f.

f) Vid. comment. nostra: *recognitio argumenti ethonomici, quo numen esse sumitur:* part. I. Erlang. 1806. prooem.

g) Inuictis argumentis haec sententia post *Melanchthonem* (corp. doctr. Chr. Lips. 1572. p. 338.) iam confirmatur a *Calouio* syst. theol. II, 140 s. Ad. de *Bilfingeri* dilucidatt. §. 385 ss. *Pistevon*, oder über das Daseyn Gottes. Dritte Ausg. Leipzig 1809. *Iacobi* von den göttlichen Dingen, p. 37 ff.

§. 51.

Deum esse, probatur ontologice.

Quamuis autem, reuera esse Deum, multis modis ostendi queat [a]), constitui tamen debent argumentorum classes atque ordines, quibus sum-

ma veritas in animo firmetur atque deuinciatur. Ducimus itaque probationis initium ab *argumento ontologico*, quod *Anselmus*, praeeunte Cleanthe, formauit [b]), *Cartesius* effinxit [c]), et *Mendelssohnius* magno acumine expoliuit, *naturam supremam, quae perfectissima esse indicatur, sine existentia cogitari non posse*, identidem adfirmans [e]). Contra monuere quidem aduersarii, misceri hac argumentatione existentiam idealem atque realem [f]); hac enim aliquid poni, positum autem, dum existit, perfectius non fieri cogitato [g]); deinde veritatem notionis diuinae non a *cogitatione* intelligentiae *necesssariae*, quae est mera idea, sed a *necessitate* huius *cogitationis* pendere, quae thesin contineat syntheticam argumentis idoneis adhuc stabiliendam. At enimuero quum idea infiniti, qua Deum concipimus, intellectui canonem praebeat in iudicandis veris et falsis [h]), falsum autem e mero phantasmate iudicari et corrigi nequeat (Ephes. V, 13.); colligitur etiam merito, notioni absoluti, quae mentem humanam occupat, et per vim conscientiae et officii etiam impiam arguit, respondere veritatem aeternam in intellectu numinis archetypo, hoc est *Deum nomen habere ab essentia* (Exod. IV, 14. Ies. XLII, 8.), ideoque *vere existere propter cogitationis diuinae necessitatem absolutam*. Hac saltem argumentatione, qua via ad reliquas munitur, post Platonem atque Stoicos iam Augustinus et ipse *Kantius* tanquam principe vsi sunt [i]).

a) *Leſs* über die Religion, ihre Geschichte, Wahl und Bestätigung. Gött. 1786. p. 97 sq. *Cudworthii* syst. intell. ed. Ienens. p. 909.

b) De *Cleanthe* vide *Sextum* Empir. adu. mathem. IX, §. 88—91., ibique *Fabricium*: adde hymnum *Cleanthis* in *Stobaei* eclogis (l. I. c. 3. ed. *Heeren.* Goettingae 1792. p. I. pag. 30.). In *Anselmi* opp. (ed. Gerberon. Paris. 1675. p. 4—40.) conferendum est *monologium*, c. 2. s. *eiusque* liber apologeticus contra respondentem pro insipiente (Gaunilonem monachum). Adde *Tiedemann's* Geist der speculativ. Philosophie, t. IV. p. 256 sq. *Ziegler's* Beitrag zur Geschichte des Glaubens an Gottes Daseyn. Götting. 1792. p. 23 sq. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie, p. V. p. 157 sq. *Cudworthii* systema intell. l. c. *Fabricii* syllabum scriptorum de veritate religionis Christ. Hamburgi 1725. p. 324 ss.

c) *Meditat. de prima philosophia*, med. 3 et 5. Hic enim liber (ed. Amstelod. 1670. p. 15—35.) ipse inspiciendus est; caue, e riuulis haurias, ex hoc fonte deriuatis. E systemate *Cartesii*, quem ingentium idearum patrem nuncupant Galli, hoc argumentum immigrauit in philosophiam *Spinozae* (ethic. part. I. def. 1. axiom. 7. propos. XI. tot. part. II. prop. 34. epist. 1—4.) et naturalem, quae vocatur, nostri aeui: *Klein's* Versuch, die Ethik wissenschaftlich zu begründen. Rudolstadt 1811. p. 50 s.

d) *Morgenstunden*, Berolini 1786. p. 306 sq.

e) Cf. *Schelling's* Ideen zu einer Naturphilosophie, ed. 2. Landshut 1803. p. 73.

f) *Kant* loc. exc. p. 620 sq. Abhandlung über die Unmöglichkeit eines Beweises vom Daseyn Got-

tes aus blofser Vernunft. Norimb. 1791. p. 69 sq. *Iakob's* Prüfung der Mendelssohnischen Morgenstunden, p. 263 sq. Idem dudum monuerat *Thomas Aquinas* (*Cartes.* meditatt. l. c. p. 51.), *Clarkius* (demonstrat. existentiae Dei, ed. Thomasii, p. 26.) et *Werenfels* (in praelectionibus de existentia Dei: Opuscul. theolog. et philos. Basil. 1782. t. II. p. 16 ss. qui liber varii acuminis plenus est).

g) *Kant's* Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 57 f.

h) *Kant* l. e. p. 597 sq. *Buddei* theses de atheismo p. 369 sq. *Iacobi* von den göttl. Dingen, p. 202.

i) *Augustin.* de libero arbitrio, lib. II. c. 15. *Plato* in Philebo edit. Bipont. tom. IV. pag. 219 sq. *Quamdiu de Deo cogito, nullam erroris aut falsitatis causam deprehendo.* Cartes. med. IV. p. 26. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. tom. II. p. 87 sq. *Saurin* sur les profondeurs divines. Sermons t. I. ed. Lausan. 1759. pag. 182. *Herder's* Gott. Gotha 1787. pag. 158. *Kant's* Vorlesungen über die Metaphysik. Erfurt 1821. p. 278 ff.

§. 52.

Argumentum dynamico-cosmologicum.

Aliud existentiae diuinae argumentum est id, quod *e contingentia et mutabilitate mundi*, cum in vniuersum, tum quod ad singulas partes, post alios deriuauit *Ioannes* Damascenus [a]), et quo causam vniuersi necessariam et immutabilem portendi haud sine ratione statuit (2 Cor. IV, 18.). Neque etiam longe abest ratiocinatio *Aristote-*

lis [b]), qua vires mundi animantes et vniuersum agitantes non a semet ipsis excitari posse, sed motorem primum eumque infinitum arguere (conf. Ioh. V, 26. Act. XVII, 28. Hebr. I, 3.), suffragante adhuc *Leibnitio* [c]), docuerat. Legimus quidem, in eo fuisse *Kantium*, vt neruum prioris argumenti incideret sententia, qua causarum legem mundi visibilis limitibus circumscribere conatur [d]). Sed si ubique viget adspectabilis iste et externus causarum et effectorum nexus in explicandis singulis mundi vicissitudinibus, omnino absonum esse videtur, eandem regulam vi sua rationali destitui in totius rerum uniuersitatis causa prima et inuisibili [e]). Series enim causarum naturalium sine initio et fine flumini similis est sine fonte et ostio, et rationem demergit, quam regere et gubernare debet [f]). Longe itaque absumus ab eorum studiis, qui Stoicorum somniis de mundo, animali rationali, inuitis literis sacris indulgent [g]).

a) *Gregorius Nazianzenus* orat. XXXIV. opp. ed. Colon. 1690. t. I. p. 559. *Ioh. Damasc.* de orthodoxa fide, lib. I. c. 3. ἀπόδειξις ὅτι θεός ἐστι. Cf. *Cicero* de nat. D. II, 9. III, 12.

b) Conf. φυσικὴ ἀκρόασις, lib. VIII, 5., quo loco diserte docetur, motum continuum, qui in mundo est, proficisci debere a causa sempiterna: deinde liber de mundo, qui Aristoteli tribuitur, c. 2. *Vateri* theologiae Aristotelicae vindiciae. Lips. 1795. pag. 27 sq.: locus classicus in *Ciceronis* somnio Scipionis, c. 8. *Krug's* Ge-

schichte der Philosophie alter Zeit. Leipzig 1815. pag. 255.

c) Opp. theolog. edit. Dutens. Genev. 1768. tom. I. p. 5 sq. Corpus, quod mobilitatem habet, non motum, figura determinata prodit *motorem primum*, eumque vnicum et sapientem. *Mendelssohn's* Morgenstunden, p. 191 sq. *Garve's* Beweis für Gottes Daseyn, ed. 2. p. 70—128. *Cudworthii* syst. int. p. 1007.

d) Kritik der reinen Vernunft, pag. 202 sq. 637 sq. conf. eiusdem philosophi *metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre*, p. 112. not. *Iakob's* Prüfung d. Mendelssohnischen Morgenstunden. Leipzig 1786. pag. 193 sq. *Iacobi* von den göttlichen Dingen, p. 178.

e) Desinit enim *lex causalitatis* in principium *rationis sufficientis*. Vide *Ierusalem's* Betrachtungen, t. I. Betr. 2. *Teten's* Abhandlung von den vorzüglichen Beweisen des Daseyns Gottes. Bützow und Wismar 1761.

f) Ipse *Lucretius* (de rerum natura, l. II. v. 253.) dissimulare nequit, esse primordia motus et *Principium* quoddam, *quod fati foedera rumpit*, *ex infinito ne causam causa sequatur*. Recentiorum Epicureorum argumenta bene refutauit *Frayssinous* in libro: *Defense du Christianisme, ou conférences sur la religion*. Edit. 2. Paris 1825. t. I. p. 182 ss.

g) Ζῶον ὁ κόσμος, καὶ λογικὸν, καὶ ἔμψυχον, καὶ νοερόν. *Diogen. Laert.* v. Zenon. VII, 1. 70. conf. *Daubii* theologumena, §. 128.

§. 153.

Argumentum-physico-theologicum.

Magis adhuc mouentur animi argumento *teleologico*, quod ex contemplanda *rerum natura, sapienter instructa et summo consilio inter se connexa*, deriuatur. Libri sacri mentionem eius faciunt frequentissimam (Psalm. VIII. XIX. CIV. Ioh. XXXVII—XLI. Ies. XL. Sap. Salom. XIII, 3—9. Matth. VI, 25 sq. Act. XIV, 15 sq. XVII, 24 sq. Rom. I, 19 sq.); reliqui autem scriptores, cum veteres, tum recentiores, in eo exornando multis modis operam suam collocauerunt [a]). Neque hoc iniuria. Quamnis enim concedendum sit, ratiocinatione ista Deum formatorem quidem, non autem creatorem mundi, multo minus attributorum eius moralium cognitionem inueniri et illustrari posse [b]); pascit tamen mentem humanam varia et multiplici sapientiae diuinae contemplatione, eaque profundioribus de numine meditationibus viam sternit [c]). Quapropter dolendum est grauissime, inter male sanos huius argumenti detractores etiamnum deprehendi *spiritus prodigiosos, qui totum diuinitatis semen in natura humana sparsum conferre non dubitant ad obruendum Dei nomen* [d]).

a) Conf. *Xenophon.* Memorab. Socrat. lib. I. c. 4. lib. IV. c. 3. *Cicero* de natura Deorum, lib. II c. 38 sp. quaest. Tusc. I, 29. *Minucius Felix* in *Octauio*, c. XVII. Adde *Cleanthis*, *Senecae*,

Antonini, aliorumque loca apud *Pfannerum* syst. theolog. gentil. cap. II. §. 6 sq. *Sintenis* Pistevon, oder über das Daseyn Gottes. ed. 3. Leipzig 1808. *Garve's* Beweis für Gottes Daseyn. S. 129 sq. *Fabricii* syllabus auctorum etc. pag. 286 ss.

b) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 648 sq.

c) *Reimarus's* Abhandlungen von den vorn. Wahrheiten d. natürl. Religion. Hamb. 1791. Abth. III. p. 113 ss. *I. H. A. Reimarus* über das Zweckmäſsige in der Natur, Teleologie genannt: im Anhange seiner Lebensbeschreibung. Hamb. 1814. Pyrrho und Philalethes, herausg. v. Reinhard. Zweite Ausgabe. Sulzb. 1813. §. 9 ff. Das Buch der Natur für Gottesverehrer. Leipzig 1813. p. 22 f. Locus disertissimus in *Delilli* libello: *la conversation.* Paris 1812. pag. 204. not. 6. ad cant. I.

d) Verba *Caluini* institutt. christ. relig. l. I. c. 5. quibus, tanquam vates, *Spinozae* furorem arguit doctrinam de finibus albis dentibus irridentem: *ethic.* p. I. propos. XXXVI. append. Dolemus, eadem fere legi in libro: *Fries's* Wissen, Glaube und Ahnung. Iena 1805. p. 219 ff.

§. 54.

Argumentum morale.

Superest argumentum *morale*, vel practicum, e voluntatis humanae natura et legibus ductum, quod, sensu latissimo sumtum, in *forense*, *ethonomicum* et *religiosum* diuiditur. *Primum* fluit

e sancto *ἰσονομίας* amore, humano pectori indito, quo, fati iniuriam hominumque impotentiam et tyrannidem experti ad *iudicem diuinum* provocamus, vt iusta sententia culpae vestigia premat, interceptumque et vero turbatum ordinem rerum moralem restituat (Deut. VII, 10. Hiob XV, 20. Matth. VII, 2. Rom. II, 3.) [a]). *Alterum* ita instruxit *Kantius*, vt *necessitatem legis moralis absolutam*, *qua officio*, *posthabita felicitatis cupiditate*, *satisfieri debere iubet*, *fidem gignere in Deum*, iustum virtutis remuneratorem, doceret [b]). *Tertium*, ab *Augustino* propositum, deriuatur a *progressu animi et voluntatis ad bonum summum et incommutabile*, *qui locum habere non potest sine Deo*, *summi boni sede et origine* [c]) (Deut. VI, 5. Psalm. LXXIII, 26. Matth. XXII, 37. Marc. X, 17 sq. Iacob. I, 17); hoc est, *ab amore et desiderio summi boni homini innato* [d]). Disquirendum est in disciplina morali, an honestas a vera felicitate separari queat; hic monuisse sufficiet, officii et virtutis notiones euolui non posse, quin Deum sistant obligationis moralis fontem et terminum (2 Cor. IV, 18. 2 Petr. III, 11.). Mediteris itaque tecum ipse, inuestiges mundi primordia, contempleris rerum naturam, de officio tuo cogites, vbique numen optimum praesens habebis et obuium (Act. XVII, 27.) [e]).

a) Conf. loca veterum de Dice, Nemesi et Adras-

tea indicata in commentationibus meis: *Recognitio argumenti ethonomici*, *quo numen esse sumitur.* Erlangae 1806 et 1807.

b) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 848 sq. der praktischen Vernunft, p. 255 sq. Kritik der Urtheilskraft, p. 448 sq. *Iakob* über den moralischen Beweis für Gottes Daseyn. Liebau 1791. *Mellin's* encyklopäd. Wörterbuch der kritischen Philosophie. Th. IV. S. 369 sq.

c) De trinitate lib. VIII. c. 3. qui locus princeps est; de genesi ad literam lib. VIII. c. 14. Ex eadem virtutis notione etiam immortalitatis euidentiam deriuari, iam *Lactantius* docuit de vita beata, c. IX. sq.

d) *Fichte's* Anweisung zum seligen Leben, p. 13. *Schelling's* Ideen zu einer Naturphilosophie, zweite Ausg. S. 307 sq. *Fries's* Wissen, Glaube und Ahndung, p. 148.

e) De aliis argumentis conf. *Melanchthon* in commentar. in epistolam ad Romanos, c. I, v. 19 sq. *Buddei* theses de atheismo, pag. 441 sq. *Malebranche* recherches de la verité, lib. II. ch. 4. *Leibnitii* theodicea, §. 62 sq. *Fichte's* Sittenlehre, p. 192 sq. *Gabler's* neues theologisches Iournal, t. XIII. 1799. p. 19 sq. *Daubii* theogumena, §. 48.

§. 55.

De Atheismo.

In tanta argumentorum copia mireris forte, atheismi labem, multis quidem olim temere adspersam [a]), a genere humano tamen, quantopere

etiam contrariam sententiam nonnulli defendant [b]), nunquam penitus elui potuisse (Ps. XIV, 1. Eph. II, 12.) [c]). At enimuero haec est fidei natura, vt non externam euidentiam gignat, sed internam nouis semper erroribus redimendam (1 Cor. II, 14.); haec est ingenii animique humani indoles, vt sensuum et imaginationis praestigiis, institutione praua, vanitate (Sap. Salom. XIII, 1.), philosophandi libidine et excessu facile in transuersum abripi queat [d]). Atheismum igitur, si *formam* spectaueris, *scepticum* atque *dogmaticum*, si *materiem* consideraueris, *physiologicum* (atomisticum et fatalisticum) atque *panlogisticum* (idealisticum atque pantheisticum) hinc inde adseclis non caruisse, historia satis clare docet [e]). Misericordiam autem potius, quam iram et indignationem, meretur breuis atheorum insipientia, verae theologiae emolumentum haud raro promotura; quamuis aliis, iisque tristissimit incommodis non careat.

a) V. c. Aristoteli et Stoicis (*Meiner's* historia doctrinae de vero Deo, p. 420 sq. 456 sq.), Socrati (*Platonis* apolog. Socr.), Christianis (a Iuliano et aliis atheismi damnatis: *Sozomen.* H. E. V, 16. *Kortholt* paganus obtrectator, lib. II. cap. X.), Pomponatio, Cardano, Campanellae, Vaninio, Lyscinskio (m. Abhandlung über *Casimir Lyszynski.* Gött. 1802.), Berkleio aliisque.

b) Cfr. *Fabricii* syllabus, p. 299. *Daub's* Einleitung, pag. 93. Lettres et pensées du prince de Ligne publiées par Mad. *de Staël*-Holstein. Paris 1809. p. 295. Omnem autem hac de re dubi-

tationem eximit egregius *Plutarchi* locus, quo docet: ἀθεότητα εἶναι κρίσιν φαύλην τοῦ μηδὲν εἶναι μακάριον καὶ ἄφθαρτον, ἧς τέλος ἐστὶν τὸ μὴ νομίζειν θεοὺς, τὸ μὴ φοβεῖσθαι. *De superstitione*: opp. ed. Reiskii VI, 629.

c) Diserte a *Leucippo* (*Cicero* de nat. D. I, 24.), *Diagora Melio* (*Lactant.* de ira diu. c. 9.), *Protagora* (*Diogen.* Laert. lib. IX. c. 8.), *Theodoro* (*Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. I, 421.), *Critia* (*Plutarch.* l. e. opp. VI, 654.), *Lucretio* (de rerum natur. lib. III. v. 197 sq.) et recentioribus materialismi fautoribus bene multis. Conf. *Platner's* philosoph. Aphorismen. Lips. 1793. t. I. §. 922 sq.

d) *Lacroze* dissertation sur l'athéisme, in libro: *Entretiens sur divers sujets d'histoire.* Cologne 1740. p. 250 sq. Jenkin *Thomasii*, Britanni, historia atheismi. Altorfi 1713. ed. auctior Londin. 1717. *Reimmanni* historia vniuersalis Atheismi. Hildesiae 1725.

e) Cfr. *Cottae* adpendix ad *Gerhardi* locos theol. t. III. p. 159 sq. *Cudworthii* systema intell. ed. Ien. 1733. p. 135 sq. *Buddei* theses de atheismo et superstitione: c. I. §. 10 ss. *Baumgarten-Crusius's* Einleitung in das Studium der Dogmatik. Leipzig 1820. p. 25 ss.

§. 56.

De Pantheismo.

Atheismo adfinis est *pantheismus*, quo *mundum ad veram Dei naturam pertinere* sumitur, ipsa literarum sacrarum auctoritate in hanc senten-

tiam detorta (Gen. I, 1. Ier. XIII, 23. 1 Reg. VIII, 11. Act. XVII, 28.) [a]). Distinguimus pantheismum *materialem*, vel *Ionicum*, quo ὕλην infinitam Dei essentiam esse statuitur [b]); *Stoicum*, qui mundum animal esse docet, cuius pars πλαστικὴ Deus adpelletur [c]); *dualisticum*, vel Spinozisticum, quo numinis naturam infinita extensione et vi cogitandi absolui docetur [d]); et *panlogisticum*, qui invisibilem substantiarum nexum arripiens omnia, quae sunt, ab ideis proficisci vult et creationem vniuersi inter aegrotorum somnia refert [e]). Quamuis autem, Deum vniuersi causam, non transeuntem, sed aeternam ideoque immanentem esse, neutiquam inficiemur; patet tamen, hanc a mundo in libris sacris diserte distingui (Act. XIV, 15. Rom. XI, 36. Hebr. XI, 3.) κόσμον numini et voluntati eius directe opponi (Ioh. XVII, 5. 11. 14. 25.); ὕλης naturam neque primitiuam, neque animo humano similem esse; comparationem mundi cum animali ingenium poeticum prodere, non philosophicum; vim expansionis atque spiritualem in natura perfectissima sibi plane repugnare; idearum humanarum vim adeo non esse creatricem, vt potius ipsae a creatore pendeant: pantheismum autem quemuis intolerabilem arrogantiam fouere (Rom. I, 22. 2 Thess. II, 4.), materialismo patrocinari, libertatem moralem tollere, numinis sanctitatem omnium facinorum et malefactorum infamia polluere, omnes amoris Dei igniculos in mente humana exstinguere [f]), et ipsos of-

ficii et virtutis neruos resoluere *g*). Quae omnia satis docent, pantheismum quemuis, tanquam immaturum intellectus humani foetum, a sana ratione plane reprobari, licet quandam adhuc religionis speciem admittere posse videatur *h*).

a) *Deylingii* obseruatt. sacrae. Lips. 1722, ed. 2. p. II. obs. I, III et LX. *Herder's* Gott. Gotha 1807. p. 82 ss.

b) *Manil.* astronom I, 484 sq. *Lucan.* pharsal. IX, 578. *Cudworthii* syst. intell. p. 453 sq. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. Gött. 1796. I, 190 ss. 283 ss. *Tiedemann's* erste Philosophen Griechenlands, p. 144 ss. *Dessen* Geist der speculativen Philosophie. Marburg 1791. I, 60 ss. *Eberhard's* Geist des Urchristenthums. Halle 1807. I, 233 ss.

c) Totum, quo continemur, et *vnum* est, et *Deus* est. *Seneca* ep. 92 et 95. Κόσμος ἕις διὰ ἁπάντων, καὶ θεὸς ἕις διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία. *Antonin.* ad se ips. l. VII. §. 9. *Plin.* hist. nat. II. 1.

d) Cfrtr. post Pythagoram et Chalcidium *Spinoza*, ethic. pag. 19 et 169. epist. pag. 149. *Schelling's* Darlegung der Naturphilosophie, pag. 1 — 30. *Eiusd.* Ideen zu einer Philosophie der Natur. Th. I. 2te Ausg. Landshut 1803. p. 76. 126. 139 — 142. 144. 197. 316. 319 tot. 491. Philos. Schriften. Landsh. 1809. I, 417.

e) Vid. *Plotinum* Ennead. III, 8. 3. *Tiedemann's* Geist der spec. Philosophie, III, 323. *Fichte's* Grundzüge der d. Z. p. 280 sq. Anweisung zum seligen Leben, p. 36. 83. 96. 125. 220 — 225. *Die Allgegenwart Gottes.* Gotha 1817. quo libro speciosa pantheismi spiritualis defensio continetur.

f) *Krausii* diss. an philosophi, qui Deum esse extramundanum negant, cum doctrina christiana conueniant? in *opusc. theolog.* Regiomonti 1818. p. 82 s.

g) *Origenes* contra Celsum l. V. *Eusebius* praep. euangel. I, 8. *Chrysostomus* homil. II. in act. apostol., quo loco pantheismum sui temporis καινὸν εἰδωλολατρείας τρόπον adpellat; *Augustin.* de ciu. D. IV, 11. *Bayle* diction. hist. et crit. v. *Spinoza* tot. *Cudworth*, p. 26 sq. *Fabricii* syllabus, p. 355 ss. *Mendelssohn's* Morgenstunden, pag. 225. *Garve* über das Daseyn Gottes. Bresl. 1807. Neue Aufl. p. 241 ss. *Schlegel* über die Sprache und Weisheit der Indier. Heidelb. 1808. p. 140. *vom Pantheismus.* Pantheismum orientalem metempsychosi iunctum omnem numinis reuerentiam animis eximere, iisque summum huius vitae taedium inspirare idoneis exemplis docet *b. Knapp:* Geschichte der evangelischen Missionsanstalten zur Bekehrung der Heiden. Stück LXIII. Halle 1818. p. 607 ss.

§. 57.

De attributis Dei eorumque diuisione.

Deus simpliciter cogitatus tanquam numen *summum* (Gen. XIV, 13. Luc. I, 35.) unus idemque est cum idea *rationis* humanae suprema, quae nudam *absoluti* notam continet ideoque a sapientiae et pietatis legibus adhuc longe abest [a]). Debet itaque *animari* operum diuinorum inuestigatione solertissima (§. 52—54.), ut *eundem* Deum *summum* simul esse videamus mundi *conditorem* et

legislatorem optimum maximum. Hac meditatione nobis aperitur fons *attributorum* Dei, quae sunt *perfectiones naturae diuinae ab intellectu humano sigillatim conceptae* [b]). Sunt igitur in uniuersum *tot* attributa, quot virtutes naturae supremae, ideoque non mera *nomina*, sed *perfectiones* certae [c]), unde sequitur, ut multis modis enumerari atque *diuidi* queant [d]). Nos autem, qui vel immensam numinis potestatem humana mensura metiri solemus, vix aliam diuidendi regulam admittere possumus, quam, partitionem attributorum Dei in *uniuersalia*, quae ad omnem eius essentiam pertinent, et *singularia*, quae ad *intellectum*, *voluntatem* et *conscientiam* numinis spectant [e]). Concedent tamen, quibus omnis perfectionum Dei diuisio displicuerit, pleniorem numinis cognitionem a singularum eius virtutum perspicientia suspensam esse et christianam religionem ceteris omnibus vel maxime hoc titulo excellere [f]).

a) Post *Spinozam*, qui doctrinam de finibus mundi et singulis Dei potestatibus in ethica sua superba quadam ingenii impotentia repudiauit, sunt etiam nostra aetate, qui parem egregii huius articuli contemtum adfectent. „Wenn werden wir denn dies trockne, unerquickliche *Schwatzen* (Aufzählen der göttlichen Eigenschaften) in eine lebendige, begeisternde, belebende Rede *von dem höchsten Gotte* verwandeln?" *Adelbert's* Geständnisse von *Theremin*. Berlin 1828. p. 89. Putamus si redierit aliquando ieiuna et nebulosa reli-

gio Brachmanum, Plotini, Turcarum atque Deistarum, qui uno ore cum Hypsistariis (§. 48. *d*) supremum Deum esse clamitant. Quod Christianorum Deus auertat.

b) *Cyrillus Alexandrinus*, *Dionysius Areopagita* et alii *attributa* diuina adpellauerunt ἀξίας, ἀξιώματα, νοήματα atque has dignitates adcurate distinxerunt a *proprietatibus* (ἰδιώμασι) numinis, quibus personarum in trinitate discrimen notari voluerunt.

c) Idea *supremi* numinis in singulas notiones resoluta tantam virtutum ubertatem sistit intellectui, ut neque comprehendi satis, neque enumerari possit. Hac de re nemo dubitabit, qui ethica unquam diligenter tractauerit. Recte tamen monuere tum *Gregorius Nyssenus* (contra Eunomianos l. XII.), tum *Pseudodionysius Areopagita*, incertae aetatis scriptor (de diuin. nominibus c. XIII.), potestates istas diuinas non esse mera *nomina*, sed conceptus *reales*, dummodo rationi conuenienter e recta Dei idea (Ioh. XVII, 3.) deriuentur.

d) Veteres theologi substitere in diuisione virtutum numinis in *negatiua* (Col. I, 15. 1 Tim. VI, 16. Iacob. I, 17.) et *positiua*, *physica* et *moralia*, *operantia* et *quiescentia* (reclamante Psalmo LXXI, 4.). Vide *Clarkii* demonstrationem existentiae et attributorum Dei. Altorf. 1713. Aliis adrisit partitio attributorum in *ontologica*, *cosmologica* et *moralia*, qua intellectus diuini praerogatiuae plane secluduntur: *Tzschirner's* Vorlesungen über die christl. Glaubenslehre. Leipzig 1829. p. 152. Pressius iterum alii hoc articulo categoriarum ordinem sequuntur: *De Wette's* lutherische Dogmatik. Berlin 1821. p. 58 s. *Hollazii* puerilem in recensendis Dei virtutibus diligentiam vel e re-

recentioribus nonnulli aemulari studuerunt, ita ut Deum longe *pulcherrimum* adpellitarent.

e) Qualis homo, talis Deus; huius legis cunctis mortalibus scriptae rigorem nulla theologiae nostrae sagacitas temperare unquam, vel migrare poterit, quia praeter *negationis*, *causalitatis* et *eminentiae* viam alia nobis non superest ad rectam Dei cognitionem formandam, neque ipsi sacri scriptores a seueritate huius normae unquam discesserunt. Vide *Kant's* Vorlesungen über die Metaphysik. Erfurt 1821. p. 298 ss. Prospiciendum tamen est maximopere, ne, dum mentem in Deum erigimus, nostrae indolis tenuitatem in eum transferamus, sed ut omnes potius humani generis virtutes qualescunque in creatorem eius non nisi purissima in luce transferantur. Hac re efficietur, ut discrimine inter attributa numinis *universalia* et *particularia* posito, hinc totius *essentiae*, inde mentis, vel *intellectus*, deinde *voluntatis* atque *conscientiae*, vel animi praerogatiuae, tanquam singuli radii aeterni solis prodeant. Neque meliora nos docuit auctor libri: *Die Lehre von den göttlichen Eigenschaften.* Altenburg 1821.

f) Ne itaque locus longe grauissimus denuo eleuetur, monere iuuat, singulas virtutes Dei non solum esse prouidentiae, perennitatis animorum creatorum et multiplicis officii fontes uberrimos, sed in christianae etiam religionis laudibus ponendam esse, ut prae ceteris humani generis institutionibus sacris sapientiam, sanctitatem, amorem et gratiam Dei egregie illustret. Nolint itaque arcem fidei prodere sacrae disciplinae sospitatores, dum scholae suae castella defendunt.

§. 58.

I. Attributa numinis uniuersalia.
1. *Deus est substantia.*

Deo itaque, ut esse, intelligere, velle et agere queat, ante omnia tribuimus *substantiam*, vel essentiam a nostra cogitatione diuersam, in qua, tanquam in centro, omnes eius perfectiones et virtutes conueniunt. Quamuis enim longe absimus ab eorum sententia, qui numen *accidentia* sustinere [a]), intellectu sine conscientia diffundi [b]), vel infinita continuitate euolui [c]) opinentur; docemus tamen, *Deum alienae determinationis cuiuscunque plane expertem suamet vi existere, agere et mouere omnia* [d]). Ita enim non solum differt ab *idolis* commentitiis (Ies. XLV, 29. XLII, 8. Act. XVII, 29.), sed diserte etiam in *sacris literis* describitur (Exod. IV; 14. Ies. XLI, 4. Act. XIV. 15. Galat. IV, 8. Apocol. I, 4.), neque aliter personae (Exod. III, 14. Psalm. L, 7. Ies. XVIII, 12.) naturam induere posset [e]).

a) Hoc sensu οὐσίαν, quam cum Alexandrinis negauit Deo, cogitat *Ioannes* Damascenus de orthod. fide lib. I. c. 4.: *Petrus* Lombardus sententiarum libro I. *quod Deus non proprie, sed abusiue* dicitur *substantia*: *Fichte's* philosoph. Iournal. Ienae 1798. part. I. Appellation gegen die Anklage des Atheismus. Ibid. 1799. Conf. ad historiam huius sententiae *Calouius* system. tom. II. p. 196 sq. *Ziegler's* Beitrag zur Geschichte des Glaubens an Gottes Daseyn, p. 112 sq.

b) Quemadmodum Alexander *Alesius* Deum adpellauit *sphaeram intellectualem*, *cuius centrum est vbique*, *circumferentia autem nusquam:* summa vniu. theolog. p. I. quaest. VII. membr. 1.

c) *Spinoza*, dum in *ethicae* suae principiis Deum sistit tanquam substantiam necessariam et in creaturis manentem, essentia numinis etiam omnem rerum uniuersitatem *inuoluit*, qua re mirifice fallitur. Existit enim Deus non externa fati necessitate, sed interna summae rationis et vitalitatis; atque pariter absonum est, res corporeas atque finitas (Psalm. LII, 27.) fragilissimo naturae suae vinculo illigare diuinae maiestati. Quare e nostratibus nonnulli docuerunt, Deum ex obscuro quodam naturae suae fundamento *euolui* ad continuam et in dies maiorem numinis sui perfectionem, quod pariter displicet. Barbara enim scholasticorum *aseitas*, qua *ex se natus esse* dicitur (*Taciti* annal. XI, 21.), rhetoricum vocabulum est, non proprium, quo praeter imperuiam nobis existendi rationem spiritualem plane nihil indicatur. Vide acutissimi *Schellingii* librum: *philosoph. Schriften.* B. I. Landsh. 1809. p. 453 ss.

d) Ἑστῶτα, *stantem in aeternum* adpellauere philosophi orientales: conf. *Fabricii* codicem apocryphum N. T. p. 416 sq. *Moshemii* dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes, vol. II. pag. 72 sq. Praeiuerat sententiam *Aristoteles* physic. lib. VIII. c. 10. *Tertullianus:* Deus est *substantiae* nomen, id est diuinitatis, dominus potestatis: adu. *Hermog.* c. 5. *Augustinus:* Deus est quaedam *substantia;* nam quod nulla est substantia, *nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est.* In Psalmum LXVIII. edit. Basil. 1569. tom. VIII. p. 722. Conf. eiusdem auctoris

de cognitione verae vitae lib. I. c. 3. et *de essentia Dei*, totus. *Albertus* M. summa tract. IV. quaest. 20. „negari non potest, quin in Deo duo sint praedicamenta, *substantia* et relatio." *Ioh. Picus* de Mirandula *de ente et vno*, opp. edit. Basil. 1601. t. I. p. 160 sq., qui hanc quaestionem latius tractat. Adstipulantur *Leibnitius* (theodic. §. VII.), *Wolfius* (theolog. natural. §. 1005.), et *Kantius* (Kritik der reinen Vernunft, pag. 441. 587. 655 sq. 701 sq. 724 sq.). Mireris itaque, de hac lite, dudum composita, nouos fluctus excitatos esse.

e) *Personam* dum tribuimus sanctarum animarum creatori et principi, nil volumus, nisi hoc, eum perfectionum suarum atque operum tanquam in mentis aeternae meditullio conscium esse, quia hac sui repetentia soluta ipsa diuinitatis natura tollitur. Socinianis autem propterea haud concedimus ambiguam, vel nullam potius, quam inde exsculpere voluat, personarum in trinitate pluralitatem (*Arnoldii* catechism. Racouiensis, p. 110.). Haec enim, quae particularis est et Christianorum fidei propria, plane non repugnat unitati personae, quae Deo in uniuersum vindicatur. Atque haec quidem iam in antecessum de trinitatis doctrina praecipienda erant.

§. 59.

2. *Deus est aeternus et immutabilis.*

Aeternum, vel omni aeuo superiorem adpellamus Deum, quatenus *primum* negamus, *eum initium et finem habere;* utrumque enim numinis essentiae adeo repugnat [a]), ut proprie ne *in-*

finita quidem vocari queat [b]). *Deinde* ponimus cum iis, qui hanc virtutem essentiae diuinae rectius explicuere [c]), aeternitatem esse *eam substantiae supremae sempiternitatem* (Exod. III, 14.), *qua omnis vitae* (Ioh. V, 26.), *motus* (Act. XVII, 28.) *et temporis principium continetur.* Aeternus simul suamet natura *immutabilis* est cogitando et volendo (Num. XXIII, 19. Iac.. I, 17.), quia *omnis successionis et vicissitudinis expers* eandem ubique personam sustinet. *Declaratur* autem utraque praestantia naturae diuinae *necessitate interna, temporis initio* et *successu continuo* atque *disertis* sacri codicis *testimoniis* (Psalm. XC, 1—10. Ies. XL, 28. XLI, 4. Ioh. XVII, 5. 1 Timoth. I, 17.). Neque silentio hic praetermitti possunt, quae vulgaris linguae usus de *aeternitate mundi* atque *hominum* comminiscitur [e]).

a) Catecheses pueriles de natura aeternitatis post *Calouium* iam *Reimarus* castigauit de religione naturali disputaturus. Ita enim nobis informanda est natura Dei, ut non solum omnis initii et finis expers, sed utroque etiam longe superior adpareat.

b) *Infinitum* (τὸ ἄπειρον) proprie est vocabulum mathematicum, quo productio lineae, vel numeri *indefinita* declaratur. Deinde transfertur ad spatium, tempus et numeros; si enim ab uno processeris, vel regrediaris, ultimus omnino numerus, vel ultima fractio inueniri plane nequit. *Hactenus* igitur numerus adpellatur infinitus. Est

tamen ista notio infiniti plane nominalis, abstracta et sine argumento; atomi enim, vel minima naturae diuidi nequeunt in infinitum, sed solummodo in indefinitum. Pari modo substantia creata potest quidem in infinitum augeri, crescere atque perfici, non autem minui, vel decrescere, nisi nihilum (Zero) aeternum posueris; quod omnino absonum esset, quia hoc regressu in infinitum omne initium et principium rerum creatarum destruitur et intellectus humanus in profundam τῆς ἀλογίας voraginem demergitur. Est igitur mathematica infiniti notio obscura tantum aeternitatis praesensio, Deusque ipse *proprie* infinitus haud est, quia finem habere *nequit.* Vide *Werenfelsii* diss. de *atomis* (opusc. theolog. Basileae 1782. t. III. p. 172 ss. et *Mellin's* encyklop. Wörterbuch' der Kantischen Philosophie. B. V. Iena und Leipzig 1802. p. 626 ss.).

c) *Boethius* aeternitatem describit tanquam *interminabilem vitae totius possessionem* (Consolat. phil. l. V.); *Calouius* adpellat eam *permanentiam essentiae diuinae interminabilem* (system. II, 365 s.); *Daubius* (in *theologumenis* §. 65.) *formam absolutam aseitatis; Knappius* (Vorlesungen I, 146.) *absolutam viuendi necessitatem.*

d) Temporis naturam in mente humana *forma quadam intellectus humani* (*Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 46. 331 ss.) absolui, dubitatione caret; proprie cogitata vero *quantitatem durationis* et *articulationem motus*, hoc est *continuam euolutionum seriem*, *interuallum motus* (*Varro* de lingua lat. l. IV. init.) denotat, qui causa aeterna incitatur. Vide *Augustinum* de ciu. D. XI, 6. confess. XI, 14 ss. *Werenfelsii* egregiam diss. de tempore, in opusc. Basil. 1782. tom. III.

pag. 193 ss. *Iacobi* von den göttlichen Dingen, pag. 137. *Apel's* Metrik. Leipzig 1814. Th. I. §. 83 s.

e) Aeternitatem mundi (Psalm. LIV, 5. Eccles. I, 4.) atque suppliciorum infernalium (Matth. XXV, 46.) libri sacri diserte docent, ita tamen, ut vocabulo αἰῶνος ubique fere vulgarem *infiniti*, vel *indefiniti* (Dan. XII, 2. Iudith XVI, 21.) significatum subiiciant. Plurima sunt, quae mundi primordia doceant; initium absolutum autem cogitari nequit sine consilio et voluntate auctoris, neque dubitari potest de lege naturae, qua iis, qui oriuntur, certus etiam finis denuntiatur. Pendet itaque duratio mundi a voluntate creatoris (Hebr. I, 2.), poenarum infernalium autem a perennitate peccati et culpae, quod alio loco edisseremus. Ex parte hoc iam vidit *Gerhardus* loc. theol. ed. Cottae, t. II. p. 104 ss.

§. 60.

3. *Deus est propter naturam spiritualem ubique praesens et efficax.*

Aeternitatem numinis sine immunitate ab omni concretione mortali, hoc est sine natura plane *spirituali* (Ioh. IV, 24.) cogitari non posse, in aprico est [a]). Deus hac ratione non solum temporis, sed spatii etiam legibus solutus adpellatur *omnipraesens*, quo nomine neque designamus *existentiam diuinam omne spatium replentem* (Ies. LXVI, 1 Ephes. I, 23.) [b]), neque *essentiam rerum uniuersalem* [c]); utraque enim sententia a duplicis

pantheismi erroribus (§. 56.) proxime abest. Notamus potius hoc vocabulo *eam substantiae diuinae efficaciam, qua omnes totius mundi vicissitudines complectitur naturae rerum earumque legibus convenienter*, ita, ut ne minima quidem status rerum mutatio Deum latere, vel fugere queat (Hebr. IV, 13.) [d]. Probamus hanc insignem numinis virtutem *e natura spatii*, quod articulatio quantitatis rerum est sapienter disposita et menti humanae informata; *e corporum figura* mirabili et ubique primum motorem testante; *e nexu* huius praerogatiuae cum *aeternitate* et *iustitia* numinis, et e disertissimis *scripturae sacrae locis* (Psalm. CXXXIX, 7—11. Matth. VI, 4—8. Act. XVII, 27 ss.).

a) Gott als Geist gemeinfaſslich dargestellt. Nach dem Lateinischen des D. *Morus* von *M. Andreae*. Dritte Auflage. Iena 1817. Vide in contrariam partem *paradoxa Tertulliani* in praef. *Pamelii* ad *Tertulliani* opp. Antverp. 1684. p. 55. *de Deo* huius patris ecclesiae *corporeo*.

b) Loca scripturae sacrae, quae diuinitatem numine suo omnia replentem sistunt (Ies. LXVI, 1. Ierem. XXIII, 24. Matth. XXIII, 22. Ephes. I, 25.), emanatismi et gnoseos speciem praeferre, qui dubitet, existimo fore neminem. Pantheismi enim vestigia apud omnes fere orientis populos, Persas inprimis, Indos et Iudaeos inueniuntur. Sequuntur longo interuallo *Plotinus* (Enn. VI, 2. 3. conf. *Tiedemann's* Geist der speculativen Philosophie, tom. III. pag. 428 sq.);

Scholastici, Deum *vbique locorum esse per essentiam*, praedicantes (Petri Lomb. sentent. lib. I.); *Spinoza*, praeter Deum nullam esse substantiam, propistereaque *Dei substantiam extensam esse*, identidem adfirmans (Ethic. p. I. propos. XIV et XV.). Neque mirum; intellectus enim humanus temporis spatiique legibus adeo cogitando est adstrictus, vt, diuinae praesentiae rationem euoluens, pantheismi difficultates verbis magis, quam re ipsa effugere queat. Vide *Ierusalem's* Predigten. Braunschweig 1788. p. 412.

c) *Die Allgegenwart Gottes*. Gotha 1817.

d) Quare distinguunt theologi (post *Episcopii* potissimum molimina, instit. l. IV. sect. II. c. 13.) inter omnipraesentiam *substantialem*, quae capi nequit, et *operatiuam*. Bene iam *Lutherus*: Gottes rechte Hand ist die allmächtige Gewalt Gottes, welche zugleich nirgend seyn kann, und doch an allen Orten ist: opp. edit. Walch. tom. XX. pag. 1002. Vid. *Gerhardi* loc. II, 122 sq. *Reimari* Abhandlungen zur natürlichen Religion. Ed. 6ta. p. 184. not. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 294 sq. de noumenis.

§. 61.

4. *Substantia summa est simul vnica.*

Talem autem tantamque intelligentiam non vnam numero, sed *vnicam* natura, hoc est *primam* et *extremam* (Ies. XLIV, 6.) esse, idoneis contenditur argumentis. *Primum* enim substantiam summam non cogitamus, nisi vnicam, quia fieri non posset, quin minueretur diuidendo, ad-

eoque suprema esse desineret [a]). *Adde*, quod mundi partes aptissime inter se connexae et conseruatae vnitatem auctoris et gubernatoris indicant [b]). *Postremum* historiam habemus testem, philosophos omnium gentium e polytheismi praestigiis ad dei vnius fidem emersisse [c]). In *libris sacris* eadem doctrina multis, iisque egregiis dictis confirmatur: Exod. II, 3. Deut. IV, 39. VI, 4—6. XXXII, 19. Matth. XXII, 37 sq. Ioh. XVII, 3. Act. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 4. Gal. III, 20. Testantur nimirum, monotheismum Israelitarum subinde particularem a Christo in rationalem et vniuersalem conuersum esse, quem propter funesta polytheismi consectaria (Sap. Sal. XIV, 12—27. Rom. I, 21 sq.) [d]), tanquam fundamentum fidei et religionis, summo studio amplecti et conseruare debemus.

a) *Deus, si vnus non est, non est.* *Tertullian.* contra Marc. l. I. *Lactant.* institutt. diu. lib. I. c. 3—8. *Fenelon* demonstration de l'existence de Dieu. Amsterdam 1731. p. 271 sq. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 607. 843. *Daubii* theologum. §. 66.

b) *Maimonides* More Nev. l. I. c. 75. *Leibnitii* theodic. §. VII. *Fenelon*, p. 281.

c) *Grotius* de veritate rel. christ. §. III. *Cudworthi* systema intell. l. II. c. 28. *Pfanneri* systema theol. gentil. c. II. §. 9 sq.

d) Conf. de origine polytheismi *Plin.* hist. nat. lib. II. c. 5. *Vossius* de origine ac progressu idolo-

latriae. Francof. 1668. *Meiner's* historia doctrinae de vno vero Deo. Eiusd. Grundriſs der Geschichte aller Religionen. Lemgo 1787. §. 3 sq. allgemeine kritische Geschichte der Religion, I, 30 sq. *Herder's* Geist der hebr. Poesie, I. 51 s. *Greiling's* Theophanien. Halle 1808. pag. 166 s. *Creuzer's* Symbolik und Mythologie der alten Völker. Leipzig 1810. B. I. p. 175 ss.

§. 62.

II. Attributa intellectus. 1. *Sapientia Dei.*

Intellectum dum tribuimus numini cum scriptura (1 Sam. II, 3. Psalm. XLII, 5.), eundem non discursiuum, sed intuitiuum esse, h. e. omnia non indirecte, vel mediate, sed directe atque immediate cognoscere, ideoque omnis cognitionis fontem in se ipso habere statuimus [a]). Quapropter eum haud nudum, sed *sapientem*, vel *cognitione optimi et adminiculorum ad id efficiendum idoneorum instructum* esse cogitamus [b]). Distinguimus itaque sapientiam *theoreticam* (internam), quae cognitione veri, perfectionis, beatitatis summa absoluitur; et *practicam* (externam), quae boni summi cum creaturis communicandi rationem optimam perspectam habet, iterumque dispesci potest in *technicam* (Psalm. CIV, 24.) et *ethicam* (Ephes. III, 16.) [c]). Probatur autem sapientia numinis, *cum* e natura rationis, quae cognitionem boni continet [d]); tum ex ordine rerum physico et morali, progressum mun-

di continuum ad summum bonum indicante; *postremum* e locis scripturae sacrae idoneis: Ies. XL, 13 sq. Prov. VIII, 22. Rom. XI, 33 sq. XVI, 27. Col. II, 3.

a) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 135. 138. 145. 311. Praeiuerat *Augustinus* loco egregio: *Deus omnia, quae sunt, simul videt, non particulatim, aut sigillatim, velut alternante conspectu, hinc illuc et inde huc et rursus inde, vel inde in aliud atque aliud.* De trinit. XV. 14.

b) *Gerhardi* loc. theol. II, 183 sq.; m. religiöse Moral, ed. 4ta. Götting. 1806. §. 54.

c) *Kant's* Kritik der Urtheilskraft, p. 270. 279 sq. 321 sq.

d) Cont. *Platonis* Philebus tot. *Tennemann's* System der platon. Philosophie, tom. IV. p. 47 sq. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie, tom. II. p. 205 sq.

§. 63.

2. *Omniscientia Dei.*

Sapientia Dei practica (§. 62.) adiunctam sibi habet *omniscientiam*, vel *perfectissimam cognitionem veritatis in vniuersum, proptereaque etiam mutationum et euentorum mundi omnium*, quam in *necessariam*, vel naturalem, *liberam*, vel visionis, et *mediam* olim diuidere solebant theologi [a]). Quum enim series eorum, quae in tempore fiunt, causa nitatur aeterna

(§. 59.); patet etiam, cognitionem Dei vniuersalem et intuitiuam antecedere debere mutationes mundi singulas [b]), ne liberis quidem hominum actionibus exceptis, quas omnino praeuidit et sub conditione arbitrii hominum liberi ordini rerum naturali interseri voluit numen optimum [c]). Probatur autem omniscientia Dei *cum* ex intellectus diuini natura (§. 62.); *tum* ex ordine rerum physico et morali, casum fortuitum quemuis secludente; *deinde* e scripturae sacrae locis disertis: Iob. XXXIV, 21 sq. Psalm. XCIV, 8 sq. CXXXIX, 1 sq. Prov. XII, 14. Ies. XL, 28. Matth. X, 39. 2 Cor. IV, 5. Hebr. IV, 13. 1 Ioh. III, 20.

a) Omnem partitionem istam male sedulis *Molinae* studiis deberi, historia ecclesiastica docet (*Schröckhs* Kirchengeschichte seit der Reformation. Th. IV. p. 298 ss.); *prima* enim, quae in Deo circa cognitionem sui ipsius et *possibilia* versari debet (Matth. XIX, 26. Luc. XVIII, 27.) sunt θεοπρεπῶς explicanda, et *postrema*, amplectens ea, quae sub conditione facta essent (1 Sam. XXIII, 9—12. Matth. XI, 21.), in intellectu intuitiuo locum habere nequeunt. *Ein anschauender Verstand hat keinen Gegenstand, als den wirklichen: Kant's* Kritik der Urtheilskraft, ed. 2. p. 340. Dessen Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipz. 1817. p. 58 s. Conf. *Herderi* Gott. Ed. 1. pag. 107. 117. *Rehberg's* Verhältniſs der Metaphysik zur Religion, pag. 118. *Döderlein's* christl. Religionsunterricht, tom. IV. pag. 242 sq. Quodsi igitur cum *Leibnitio* posueris, Deum nil facere posse praeter ea, quae reuera facit et ope-

ratur (*theodic.* pag. 341.); eum ubique scire non cogitabilia, quae nudo solummodo hominum intellectui patent, sed vera et perficienda (Act. XV 18.), hoc est totius rerum uniuersitatis causas, vicissitudines et fines. Ea enim nosse, quae mundo optimo sint, vel essent viliora et inferiora, scientia Dei parum digna esse videntur.

b) *Maimonides* Mor. Nev. III, 21. *Fries's* neue Kritik der Vernunft. Heidelb. 1807. II, 30.

c) Incidimus hic in locum post *Ciceronem* (de fato tot.), *Stoicos* (*Senecam* de prouidentia, *Antoninum* ad se ipsum lib. IV. *Gell.* N. A. VI, 2.), *Augustinum* (de libero arbitrio lib. III. c. 2. de gratia et libero arbitrio), *Boëthium* (consolat. phisosoph. lib. V. tot.), *Ioannem Damascenum* (de orthodoxa fide lib. II. 3. 30.) et Scholasticos a *Luthero* inprimis (de seruo arbitrio. Vitemberg. 1525.) cum laude tractatum. Quamuis enim multa ibi satis dure pronuntiata inueniamus; vidit tamen vir incomparabilis, inani Ioannis Damasceni discrimine inter πρόγνωσιν et προορισμὸν Dei tantam litem sopiri nullo modo posse. Πρόγνωσις enim, vel *praeuisio* tribui nequit Deo, quia propter aeternitatem naturae temporis legibus longe superior est; προορισμὸς autem, vel *praefinitio* eorum, quae nobis futura sunt, separari nequit a cognitione Dei, quae nunquam otiosa est, vel vacua (Rom. VIII, 29.). Cauendum tamen est summopere, ne scopulis illidamur, *Dominicanorum* et *Caluini* naufragio famosis. Etenim si hoc semel iis dederis, *nullam praeuisionem Dei esse sine decreto*, absoluta fati necessitas vel in ethicis eluctari nunquam poterit. Conuertenda igitur erit sententia hac ratione, ut *nullum decretum Dei esse sine praeuisione* statuamus. Videt autem, vel praeuidet Deus alia

ratione ea, quae finnt secundum legem naturae; haec enim sunt *fatalia* nulloque consilio humano euitari possunt (Eccles. III, 14. IX, 12.). Iterum alia ratione praeuidet Deus ea, quae fieri debent conuenienter officio et conscientiae legi; haec enim, qua consilium et imputationem meriti et culpae pendent a libera hominis αὐτοπραγίᾳ nullamque, nisi propriam mentis regulam admittunt. Qua effectum autem nexumque actionum cosmicum omnia sunt *confatalia* (*Cicero* de fato c. 13.); Deus enim non praeuidet eas simpliciter et otiose (*Formula concordiae* art. XI.), sed *concurrit* ad eas sustentando vires hominum (Act. XVII, 28.), permittendo (Rom. I, 24.), deserendo (1 Sam. XV, 16.), malum in bonum vertendo (Gen. L, 20.), qua re fit ut e maximis subinde facinoribus, quibus optimus quisque nefastum Christi supplicium adnumerabit, summa tamen commoda in genus humanum deriuentur (Matth. XVIII, 17. 1 Cor. XI, 19.). *Vtrumque itaque amplectimur, certum ordinem rerum ex Dei praescientia, vt recte credamus: liberum arbitrium, vt bene viuamus. Augustin.* de ciuit. Dei lib. V. c. 9. Cf. *Chemnitii* loc. theol. t. I. p. 393 sq. ed. Francof. 1699. de causa pec. p. 6. *de praescientia diuina. Calou.* syst. III, 1169 s. *Leibnitii* theodicea I. §. 37 s. *Martens Theophanes.* Halberstadt 1819. p. 252 s. Reliqua in articulo de praedestinatione pertractabimus.

§. 64.

III. Attributa voluntatis diuinae vniuersalia.
1. *Libertas, omnipotentia, unitas.*

Voluntatem dum tribuimus Deo, contendimus, eum *summa vi et facultate ad agendum et ad exsequendam cognitionem summi boni* instructum esse. Cum hac voluntate coniungimus *in vniuersum* notiones *libertatis, omnipotentiae et vnitatis. Libertas* Dei est *ea voluntatis summae affectio, qua a nemine pendet, nisi ab intellectus sui legibus sapientissimis* (§. 62.) [a]). *Omnipotentia* est *summa voluntatis diuinae potestas, decreta sua vi consilii sola perficiendi* [b]). *Vnitas* voluntatis est *ea numinis proprietas, qua decreta sua, mutatione quauis seclusa, summo rationis consilio coniungit* [c]). Patet autem veritas eorum, quae dicta sunt, *cum* e natura intelligentiae summae, quae voluntatem liberrimam sibi habet adiunctam; *tum* e rebus creatis, earumque perennitate, quae decreti diuini vnitatem et efficaciam probant maximam; *tum* denique e libris sacris, qui numini *voluntatem* (Psalm. CXXXV, 6. Matth. XI, 26. 1 Cor. I, 1. Iac. I, 18.), eamque *liberam* (Psalm. CXV, 3. Rom. IX, 16. XI, 36.), *potentissimam* (Iob. XXVI, 5 sq. XXXVIII, 4 sq. Psalm. XXXIII, 6—9. Ies. XL, 12 sq. 26—28. Luc. I, 37. Eph. III. 20.) et *vnam*, vel *immutabilem* (Num. XXIII,

19. Ierem. IV, 28. Rom. XI, 29. Hebr. VI, 17.) vindicant.

a) Exulat itaque e voluntate numinis *impetus* caecus, vel *absolutus* (Rom. IX, 18.), et *arbitrium liberum*, vel indifferentia ad opposita, quae non, nisi in creaturis, locum habet (Cartesii meditatt. de phil. prim. p. 28.), ita tamen, vt simul caecam fati necessitatem proscribamus, qua vera Dei libertas plane tollitur (a *Spinoza* in ethica p. I. prop. 32. tot.). Sententia contraria iam a longis inde temporibus errores foedos progenuit in doctrina de praedestinatione et constitutione religionis arbitraria.

b) Distinguunt omnipotentiam *ordinatam*, legibus naturae adstrictam, et *absolutam*, in miraculis conspicuam; sed sine disciplinae commodo.

c) Additur in corpusculis dogmaticis diuisio voluntatis diuinae 1) in *reuelatam* et *arcanam*, vel *imperscrutabilem*, h. e. signi et beneplaciti (Deut. XXIX, 28. Rom. XI, 33.), qua „*multa facit Deus, quae verbo suo non ostendit nobis*": (*Lutherus* de arbitrio seruo. Vitemb. 1525. p. 142 sq. 2); in *absolutam* (Ies. XLVI, 10.) et *a conditione suspensam* (Ies. LXV, 12.): 3); in *antecedentem*, vel voluntatem *misericordiae* ex mente Tertulliani, (conf. Ezech. XVIII, 23. 1 Tim. II. 4), et *consequentem*, vel voluntatem *iustitiae* (Ioh. III, 16. Marc. XVI, 16.); in *naturalem* et *liberam*. Excussas videbis notiones, vel voces potius istas omnes in *Gerhardi* locc. t. II. 200 sq. et libro *Eckermanni*: Handbuch für das systematische Studium der christlichen Glaubenslehre, tom. II. p. 176 sq. Aliam viam ingressus est *Daubius* theolog. §. 61.

§. 65.

2. *Attributa specialia. Sanctitas Dei.*

Hanc autem numinis voluntatem in specie *sanctam* esse praedicamus, vel inuiolabilem et propter summam perfectionem maxima veneratione dignam [a]). Est enim sanctitas, quam diuerso modo finiunt theologi [b]), *consensus voluntatis liberrimae perfectissimus cum legibus intellectus sapientissimi.* Probatur *primum* ex intelligentiae diuinae indole, quae vi sua voluntatem non flectere nequit; *deinde* e voluntatis efficacissimae natura a sensuum illecebris plane immuni; *accedit* numinis essentia, quae summam perfectionem non cognoscere solum debet, sed etiam complecti; *libri sacri* autem voluntatem dei *cum* vitiositatis omnis expertem, ideoque incomparabilem (Levit. XI, 44. XIV, 2. XX, 7. Psalm. V, 5—7. Ies. VI, 3. Iacob. I, 13. Hebr. VI, 18.), *tum* purissimum et certissimum boni exemplar esse (Deut. XXXII, 4. Psalm. XVIII, 26 sq. Matth. V, 48. 1 Petr. I, 16. 1 Ioh. III, 3.), diserte docent [c]).

a) In tanta huius vocis obscuritate confugiendum est ad originationem et sensum vocis linguis pluribus communem. Hebraicum קדוש sensu medio *separati*, *immunis a labe*, propterea que *maxime colendi* notionem continere, dubitatione caret; vide *Stockium*, *Gesenium* et *Michaelis* supplementa ad h. v. Verba graeca, ὅσιος et ἅγιος auctore *Etymologo* M. descendunt παρὰ τὸ ἅζω, σέβομαι, vel ἄγος,

purum (vide *Lennepii* etimolog. h. v.) et primum opponuntur v. βεβήλοις, deinde pura, bona, perfecta, ideoque colenda designant. Conf. *Ammonius* de adfinium vocabulorum differentia v. ὅσιος; *Suiceri* thesaurus v. ἅγιος. Romanis *sanctum* est inuiolabile (*Cicero* leg. III, 3.); amores *sancti* sunt puri, voluptate haud contaminati (*Cicero* de fin. III, 20.). Teutonum *heilig* descendit a voce *Heily*, *Heil*: vid. *Schilteri* glossarium Teutonicum et *Adelungii* Wörterbuch v. heilig. Genesis itaque significationum huius vocis haec est: 1) *separatum*, 2) *inuiolabile*, 3) *incomparabile*, 4) *perfectissimum*, 5) *summopere venerandum*.

b) V. c. ab *Hollazio*, *Buddeo*, *Baiero*, *Millero*, *Doederlinio*, *Eckermanno*, *Henkio*, quorum explicationes omnes dignae sunt, quae inter se conferantur. Videatur etiam *Saurin* sur la sainteté (Sermons tom. IV. d. 4.). In longe alia abit *Kantius* (Kritik d. praktischen Vernunft, p. 155 sq.), qui vltra nudam legis suae moralis notionem adsurgere haud videtur. Vide *Bretschneider's* Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe. Zweite Auflage. Leipzig 1819. p. 381 f. m. Handbuch der christl. Sittenlehre. B. I. Leipzig 1823. p. 225 f. 235 f.

c) Distinguendae sunt itaque, voces תמים, קדוש, חסיד, טהור, ἅγιος, ἁγνος, ἀγαθὸς. Vid. *Eckermanni* Handbuch, t. II. p. 240 sq. m. bibl. Theologie, t. I. p. 137 sq.

§. 66.

3. *Bonitas Dei.*

Deus, qui, seorsim spectatus, sanctus dicitur, *bonus* adpellatur (Luc. XVIII, 19.) propter *aeternum boni summi cum creaturis communicandi decretum.* Distinguunt in bonitate *benignitatem,* quae fons est beneficiorum externorum sensibus percipiendorum [a]); *misericordiam,* quae bonitas est erga creaturas calamitatibus oppressas [b]); *amorem,* qui in promouenda spirituum creatorum salute versatur [c]); *gratiam,* vel bonitatis continuationem erga indignos. Argumenta deriuantur *primum* e notione voluntatis sanctae, quae boni possessionem intra naturae suae limites continere nequit [d]); *deinde* e necessitate bonorum externorum ad felicitatem nostram; *postea* e sapientia diuina, quae calamitates haud sine consilio immittit creaturis; *postremum* e naturae diuinae similitudine, quam Deus contingere voluit spiritibus creatis, et quae vel in scelestorum animis haud plane exstingui potest. *Accedunt* testimonia scripturae sacrae, quae mixtis tamen inter se diuersis notionibus, confirmant *bonitatem* (Psalm. XXV, 6 sq. C, 5. Ierem. XXXI, 3. Luc. XVIII, 19.), *benignitatem* (Ps. XXXVI, 8 — 10. CIV, 10 sq.), *misericordiam* (Exod. XXXIV, 6. Psalm XXV, 6. CIII, 13 — 17. Sir. II, 23. Luc. I, 15.), *amorem* (Deut. XXXIII, 3. Iesaias LXIII, 16. Malach. II, 10. Matth. VI, 9.

XXIII, 9. 1 Ioh. IV, 8.) et *gratiam* (Psalm. LI, 3. Matth. V, 45.

a) *Güte*, sensu pathologico, *Gütigkeit*; bonitatis notio latior est benignitate. Vid. *Gerhardi* loc. II, 164 sq.

b) M. biblische Theologie: Ed. 2. t. I. p. 142 sq.

c) *Clodii* allgem. Religionslehre, p. 294 sq.

d) Bonum non est, quin communicet sui naturam, e sententia Platonis. Conf. *Theodoreti* orat. II. opp. edit. Schulz. tom. IV. p. 507 sq.

§. 67.

4. *Iustitia Dei.*

Hanc bonitatem dum sapienter administrat Deus ita, vt cuiuis id conseruetur, quod ei competit naturae suae conuenienter, *iustus* est. Diuinae autem *iustitiae* natura et indoles non tam in eo quaerenda est, *vt neminem fallat, vel laedat*, quod in numine ne cogitari quidem potest (Hebr. VI, 18.), sed *vt fata spirituum, quos creauit, constituat ad normam meriti, vel culpae* [a]). Distinguunt *legislatiuam*, quae normam aequilibritatis moralis promulgat, et *executiuam*, quae vim legis sustinet potestate et factis; hancque iterum diuidunt in *remunerantem*, quae virtutem praemiis ornat, et *vindicem*, quae peccatum poenis debitis coërcet. Deriuatur autem iustitia diuina *cum* e desiderio summi boni naturae humanae insito, cui necesse est, vt satisfiat [b]);

tum e bonitate diuina, quae curare debet, vt suum cuique conseruetur; *tum* e sapientia numinis, cuius est, iniustorum libidines continere eosque ad mentem meliorem reuocare. *Neque* desunt librorum sacrorum testimonia diserta: Deut. X, 17. Hiob. XXXIV, 10 — 12. XXXV, 5 — 8. Psalm. XXXVI, 7. LXII, 13. Rom. II, 6 — 12.

a) Iustitiam in dispensatione boni versari, ideoque primum sanctitate, deinde sapientia niti, nemo facile negabit. Spectat tamen ad voluntatem legislatio summi iudicis, quatenus legem *ἰσονομίας*, sine qua bonum cum creaturis communicari nequit, a spiritibus *vult* religiose obseruari. Eadem autem huius legis fere ratio est in ordine rerum morali, quae in physicis deprehenditur legi reactionis, vel *ἀνταγωνισμῶν* subiectis. Cf. *Newtonii* princip. philos. nat. l. III. et *Kantii* metaphys. Anfangsgründe d. Naturwissenschaft. Rigae 1786. p. 128 sq.

b) Nolim itaque cum *Kantio* contendere (Tugendlehre, p. 184.), *iure* erga numen omni priuatos esse homines. Distinguatur modo ius *absolutum*, quod locum hic omnino non habet (Rom. IV, 4. XI, 35.), a libere in creaturas a Deo *collato* (Psalm. VIII, 6 sq.); ius *externum* ab *interno*. Vera enim Christianorum *dignitas* (Luc. XX, 35. 2 Thess. I, 5.) sine *iusta* praemii *dispensatione* (Rom. II, 10. 2 Timoth. IV, 8.) cogitari nullo modo posset.

§. 68.

Continuatio.

Cauendum autem est summopere, ne iustitiam diuinam, quae *paedeutica* est (1 Cor. XI, 32.), et aeternae legi aequilibritatis [a]) adstricta, cum iustitia hominum forensi, positiua inprimis et arbitraria, confundamus. *Praemia* enim diuina, quae bona sunt, siue *interne*, siue *externe* cum virtute aequabiliter, h. e. merito conuenienter connexa (praemia *naturalia*, *positiua*), merito agentis vbicunque attemperata deprehenduntur, dummodo non facta singula expendamus, sed totius vitae cursum et perennitatem persequamur (2 Cor. IX, 6. Gal. VI, 8.). Eadem ratione *poenae*, quae mala sunt, siue *interne* (Ioh. III, 18.), siue *externe* cum peccato aequabiliter, h. e. culpae conuenienter coniuncta (poenae *naturalis*, *positiuae*), iustissima ἰσονομίᾳ· culpae vestigia premunt, dummodo poenae mali (obiectiuae) eiusque sensus (subiectiuae) notiones caute distinguamus [b]). Quin in ipsa mentis emendatione, qua absoluta, poena quaeuis exspirat (2 Cor. VII, 10. Hebr. XII, 6—12.), moerorem et poenitentiam, iustos peccati vindices, adesse sentimus [c]). Adstipulantur auctores sacri (1 Sam. XXVI, 23. Psalm. XVIII, 21. 25. Hiob. XXXIV, 10. Prov. XIII, 21. Matth. VI, 4. VII, 2. 2 Thess. I, 6.), qui hinc inde ne ab irae quidem et vindictae diuinae mentione sibi tempe-

rant (Exod. XXXII, 10. Psalm. VI, 2. XCIV, 1. Ioh. III, 36.) d).

a) Talionem adpellant libri Hebraeorum sacri Exod. XXI, 24. Conf *Kant's* Rechtslehre, p. 197. Patet vltro, formulam non cum puluisculo excutiendam, sed ad leges naturae physicas et morales reuocandam esse. Historia tamen docet, legislationem *Mosis*, *Solonis*, *Zaleuci*, *Charondae* (*Diodor.* Sic. XII, 17.) duodecimque tabularum apud Romanos (tab. VII, 9. apud *Cicer.* opp. ed. Bip. XI, 438.) ex hoc fonte fluxisse. Docte pertractauit hunc locum, quo omnis iustitiae vindicis fundamentum continetur, *Danzius in diss. de origine talionis ad mentem gentilium, Iudaeorum et Christianorum examinata* occasione Matth. V, 18 s. in *Menschenii* N. T. ex Talmude illustrato. Lips. 1736. p. 488 ss.

b) Neues theologisches Iournal, tom. IV. p. 470 sq. *Velthuseni* commentationes theol. t. III. p. 185 sq. 216 sq. *Eberhard's* Apologie des Socrates, t. II. p. 258 sq.

c) *Kant's* Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft, p. 91 sq. m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums, tom. I. 215. *von der Reue.*

d) *Lactant.* de ira diuina, c. 5. m. Handbuch der christl. Sittenlehre. Leipzig 1829. B. III. Abth. 1. p. 92 ss.

§. 69.

IV. Attributum conscientiae. Beatitas et maiestas diuina.

Tot et tantis Dei attributis *beatitas* adhuc et *maiestas*, tanquam comites, adiunctae esse debent. *Beatum* vero adpellamus Deum, quia *purissima perfectionum suarum conscientia, ideoque plenissima αὐταρκείᾳ intra se ipsum fruitur*, qua notione libri sacri gentilium commentis longe antecellunt (Psalm. XVI, 11. XXXVI, 9. L, 10—14. Act. XVII, 25. 1 Tim. I, 11. VI, 15.)[a]). *Maiestatem* autem, vel *gloriam* tribuimus Deo propter *summum perfectionum omnium complexum a creaturis venerandum*; quare nimbi specie eum inuoluunt libri sacri (Exod. XIX, 16 sq. XXXIII, 17—22. Deut. VII, 21. Ies. VI, 3. Act. VII, 2. 2 Cor. III, 18. 1 Tim. VI, 16.)[b]). Difficile enim est omnino, in illustrandis iis, quae numini propria sunt, imaginationis lusus effugere, cui ab antiquissimis inde temporibus diuinarum rerum scientia latissimum, in quo exspatiaretur, campum aperuit[c]).

a) Consentientem habemus *Boethium*, qui beatitudinem Dei adpellat *copiosum bonorum omnium statum, nec alieni egentem, sed sibi ipsi sufficientem* (consolut. philos. lib. III. pros. 2.). Dignissimum omnino argumentum, quod in tanto oratorum sacrorum silentio pro concione tractetur. Cfr. m. Handbuch der christl. Sittenlehre. Leipzig 1823. B. I. p. 244 s.

b) Vide de δόξῃ numinis dissertationem *Vitringae* in obseruat. sacris, tom. I. pag. 161 sq. *Buxtorf.* lexic. rabbin. et chald. voce שכינה.

c) *Meiner's* allgem. kritische Geschichte der Religionen. Hannover 1806. t. I. lib. 2. tot. Pudet commemorare ipsorum Graecorum commenta de futilibus Deorum semper beatorum gaudiis. Cauendum tamen est summopere, ne numen, quia corpore et sensibus caret, sui etiam repetentia et cognitione (1 Cor. II, 11.) destitutum esse putemus. Cumulata enim summi boni possessio, qua beatus est Deus, ei tribui atque vindicari nullo modo posset, nisi se ipsum sentiret sensu nostras affectiones corporeas longissime superante.

SECTIO II.

DE

TRINITATE DEI.

---

§. 70.

Introductio.

Tam insignes, quas modo descripsimus, numinis ter optimi maximi virtutes post Platonem eiusque adseclas [a]) ab aliis etiam bene multis ad numerum ternarium reuocatas esse satis constat [b]). Neque inter Iudaeos defuere, qui huic sententiae fauerent, ita quidem, ut vel, praeeunte oraculo Iesaiae (XI, 1 s.) tres praerogatiuas principes Dei

a reliquis seiungerent, vel aliis poëtarum locis in argumentum fidei conuersis (Psalm. XXXIII, 6. Prov. VIII, 23.) verbum Dei eiusque spiritum tanquam hypostases e patre aeterno progenitas in medium adducerent [c]). Ex instituto Christi autem qui ad religionem eius per baptismum initiantur, profiteri debent Deum patrem, creatorem mundi atque gubernatorem, filium, salutis humanae auctorem et instauratorem, cum spiritu sancto, fidei salutiferae internuntio (Matth. XXVIII, 19.). Hanc vero sententiam longe grauissimam apostoli etiam ita proposuerunt, ut singula beneficia in genus humanum hac procuratione diuina conferri docerent (Ioh. III, 5. 16. 2 Cor. XIII, 13.) [d]). Arctissime igitur cohaeret hic locus cum prouidentia Dei *hominibus* propitia; quare non audiendi sunt, qui indiuisam numinis essentiam (Rom. XI, 36. Ephes. IV, 6.) eo periclitari atque diuelli criminantur [e]).

a) *Cudworthii* systema ed. Mosheim, pag. 630 ss. *Buhle's* Geschichte der Philosophie. Th. II. Göttingen 1797. p. 172 s.

b) *Gerhardi* loc. theol. II, 209 ss. *Pfanneri* systema theologiae gentilis, c. III. §. 2. s. Nostra aetate vel apud Indos, Lamaitas atque cycladum oceani australis incolas trinitatis doctrinae semina antiquitus sparsa fuisse volunt.

c) *Vitringae* obseruatt. sacr. t. I. p. 345 s. *Eichhorn's* Bibliothek der biblischen Literatur, t. III. p. 105 s.

d) Hanc rationem huius articuli pertractandi prae ceteris *Morus* secutus est in epitome theologiae christianae, p. I. cap. 2.

e) *Vnus Deus est, qui filium non habet, et si haberet, eum facile exstirpare posset.* Mohamedus in Corano sur. V et VI.

§. 71.

1. *De Deo patre: doctrina biblica.*

Doctrina *de Deo, patre omnium*, a tot vatibus populisque celebrata, in libris sacris etiam clare, sed diuersa ratione, proponitur. Adpellatur enim Deus

1.) pater regum Israëliticorum (Psalm. LXXXII, 6.), Dauidis inprimis (Psalm. II, 7. LXXXIX, 27.) et Salomonis (2 Sam. VII, 14.), ad quorum exempla Messianae postea notiones compositae sunt;

2.) pater populi Israëlitici (Deut. XXXII, 6. Ies. LXIII, 16. Ierem. III, 19. Malach. I, 6. Ioh. VIII, 41.);

3.) pater totius generis humani (Matth. VI, 9. XXIII, 9. Ioh. IV, 21—23. Ephes. III, 15. 1 Ioh. III, 1 sq.) [a]);

4.) pater saluatoris nostri Iesu Christi (Luc. II, 49. Ioh. XVII, 8. Rom. XV, 6. 1 Cor. I, 3. Ephes. III, 14.) [b]), quem genuit (1 Ioh. V, 1. Hebr. I, 5. Ioh. I, 18. VIII, 42. XVI, 27.) [c]) et ad hominis beandos in mundum venire iussit.

Sensus primus et secundus ad singularem Israëlitarum disciplinam pertinet; tertius *essentialis*, quartus vero *hypostaticus*, vel *personalis* adpellatur atque solus in articulo de trinitate considerandus est.

a) *Cicero* de nat. Deor. II, 66. Κοινὸς ἀνθρώπων πατὴρ, ἰδίους δὲ ποιούμενος ἑαυτοῦ τοὺς ἀρίστους, iam a Psammone, philosopho Aegyptio, adpellatur apud *Plutarchum* in vita Alexandri M. c. XXVII. (opp. ed. Reiskii IV, 67.). Orpheus in egregio Iouis patris elogio adpellat eum βασιλέα, ἀρχὸν ἁπάντων, ἀρχιγένεθλον (apud *Apuleium* de mundo: opp. ed. Bipont. t. II. p. 277.).

b) Confer. Ioh. XX, 17. et Rom. VIII, 29. ad ventilandam quaestionem, an et quatenus Deus sensu proprio adpelletur pater Iesu Christi? *Pottii* breuis expositio huius formulae. Gotting. 1810.

c) De *missione* explicant interpretes bene multi (Ioh. VIII, 42. X, 36. XVII, 8.): confer. tamen Prov. VIII, 22 sq. Sirac. XXIV, 4. 12. et librum nostrum: *bibl. Theologie*. Ed. 2. tom. I. p. 178 sq.

§. 72.

Doctrina ecclesiastica cum epicrisi.

Videlicet sensu *essentiali* nomen *patris* ad tres personas (Ies. IX, 6. Matth. VI, 9.), *hypostatico* autem ad *primam diuinitatis personam* vnice pertinet, *quae neque genita est, neque procedit, sed filium generauit ab aeterno eumque cum spiritu sancto ad homines sal-*

uandos et regenerandos in mundum misit (Ioh. III, 16. XVI, 26.) [a]). Deus pater itaque solus est *ἀγέννητος*, non *materialiter* ratione existentiae, quod de tribus personis docetur, sed *formaliter* ratione ordinis cogitandi [b]); *filium generauit* non physice, vel metaphorice, sed *proprie*, vt eandem *numero* essentiam cum eo communicaret ab aeterno [c]); eadem ratione *spirauit*, vel procedere voluit *spiritum sanctum*, non tanquam *actum*, sed *personam* societate essentiae sibi coniunctam; quare recte dicitur, patrem a filio et spiritu non vt *principium causale* ab effectu, sed *modo communicationis essentiae*, qui personae principium formale est, differre [d]). Has autem sententias, quamuis in scriptura sacra iisdem verbis non occurrant, tenere tamen atque defendere debemus tanquam fundamentum fidei, quo omnis de filio et spiritu sancto doctrina nititur.

a) *Cyrill.* Hierosol. catech. VII. de patre. *Ioann. Damascenus* expos. orthod. fid. lib. I. c. 9. de patre et filio: *Symbol. apostolicum* et Nicaenum, initio. *August.* Conf. art. 1. *Chemnit.* loc. I, 107 sq. *Calou.* syst. tom. III. p. 198 sq.

b) In controuersia cum Ario *pater* ab orthodoxis adhuc ἀγέννητος sensu tantum materiali, *vnigenitus* autem φύσις μεσιτεύουσα inter ingenitum et creaturas adpellatur. Vide locum Alexandri insignem in *Theodoreti* histor. eccles. I, 4. In *libris Sibyllinis* autem ipse λόγος θεοῦ nuncupatur ἀγέννητος (VIII, 429).

c) Vid. *Chemnit.* I, 155 sq. *Calou.* l. c. *Episcopius* in inst. p. 337 sq.

d) *Bretschneider's* Handb. der Dogmatik, I, 403 s.

§. 73.

2) *De filio Dei: notio biblica.*

De *filio, filiaue* [a]) *numinis* vbi verba faciunt scriptores, notionem etiam multiplicem vocabulo substernunt. In literis sacris distinguitur sensus filii Dei

1.) *physicus*, quo corpus mentemque hominis a numine originem ducere contenditur (Gen. V, 1. Luc. III, 38. Act. XVII, 28.) [b]);

2.) *politicus*, quo magistratus et reges compellantur, ceu vicarii et σύνθρονοι numinis (Exod. XXI, 6. XXII, 8. 9. Psalm. II, 7. LXXXII, 6. LXXXIX, 28. CX, 1 sq. 2 Sam. VII, 14 coll. Matth. XXI, 9. XXII, 45.);

3.) *ethicus*, quo similitudo hominum piorum cum Deo moralis adumbratur (Gen. VI, 2. Exod. IV, 22. Deut. XIV, 1 sq. Matth. V, 45. Ioh. I, 12. 1 Ioh. III, 1 sq.) [c]);

4) *idealis*, quo spiritus homine maiores insigniuntur (v. c. angeli. Hiob. I, 6. II, 1., sapientia Dei et natura Messiae sublimior Prov. VIII, 22 sq. Sap. Salom. IX, 1 — 4. Ies. Sirac. XXIV, 3 — 10. Ioh. I, 18. Col. I, 14. Hebr. I, 3.) [d]), et a quo etiam philosophica filii diuini notio proxime abest [e]).

Considerandum est igitur, quonam sensu Iesum Dei filium adpellari velint scriptores sacri?

a) Ies. XLIII, 6. Σοφία etiam in apocryphis et apud Philonem *filia Dei* est, vel *uxor*, ἡ συνὼν ἔσπειρε γένεσιν· ἡ δε παραδεξαμένη τοῦ θεοῦ σπέρμα ἀπεκύησε τὸν μόνον καὶ ἀγαπητὸν υἱόν, τόνδε τὸν κόσμον (de temulent.). *Numenius* multa comminiscebatur de Deo *auo*, *patre*, *filio* et *nepote* (Cudworth. p. 637.). Conf. *Kant's* Streit der Facultäten, p. 51.

b) Inde varia et multiplex Dei ἐνανθρώπησις in theologia Indorum. *Millin* magasin encyclopédique. Juillet 1807. p. 9—48. *Schlegel* über die Sprache der Indier. Heidelb. 1808. p. 108.

c) *Noesselt* de vera vi nominis filiorum Dei, in opusc. fascic. II. Halae 1787. p. 333 sq.

d) Vide librum nostrum, *biblische Theologie*, ed. 2. tom. I. p. 80 sq. Omnia, quae vulgo ad Christum referuntur, attributa biblica diligentissime collecta sunt in libro: Belehrungen und Betrachtungen über Iesum Christum, v. *Maulinié*, übersetzt von *G. L. von Krüdener*. Dresden 1818. p. 70 ss.

e) Iam ante primordia religionis christianae docuerat *Plato*: animam coelestem fontem animarum omnium, optimam et sapientissimam virtutum genitricem Deoque praesto esse ad omnia inuenta eius (apud *Apuleium* de habitudine lib. I.: opp. ed. Bip. t. II. p. 165.)." *Cicero* Platonicum Dei filium adpellat *animam mundi unigenam* (de uniuerso c. IV et VII.) *Philo* describit antiquissimum et primogenitum Dei filium tanquam umbram et imaginem Dei, qua tanquam instrumento usus est in fabricatione mundi (alleg. I, 43. III, 79. cfr.

Quaestiones Philonianas doctissimi *Grosmanni* nostri. Lips. 1829). Primus homo *Cabbalistarum*, אדם קדמון, cui Paulus secundum opponit (1 Cor. XV, 47.), ex ipsa Dei sapientia progenitus esse dicitur (*Knorrii* cabbala denudata. Sulzbaci 1677. t. I. p. 1. pag. 28 s. p. 2. pag. 195.). *Eusebius* monet, unicum patrem non nisi unum habere filium (*demonstrat. euangel.* IV, 5.). *Melanchthoni* est filius Dei *imago cogitatione patris genita adeoque substantialis* (Loci theol. Lips. 1577. p. 315.): *Osiandro* imago Dei *nobis innata*: *Kantio* „das Ideal der Gott wohlgefälligen Menschheit"; *Schleiermachero* „die Urbildlichkeit Christi in Allem, was mit der Gewalt des Gottesbewufstseyns in Verbindung steht (Der christliche Glaube. Berlin 1822. t. II. p. 191.)"; *Marheineccio* „die ewige Existenz Gottes als ewiger Exitus, welcher das Seyn des Sohnes aus dem Vater ist (Grundlehren der christlichen Dogmatik als Wissenschaft. Zweite Auflage. Barlin 1827. §. 210.)." Inest autem omnibus filii diuini ideis hucusque a nobis enumeratis notio *hominis coelestis ad sanctum Dei imaginem formati* (1. Cor. XV, 47 s. Ephes. IV, 24.), cuius societate ab imperii peccati liberari patrique sanctissimo reconciliari debemus. Quare huic articulo summam totius religionis christianae inesse, negari nequit. Cfr. dissert. nostram: *Die Lehre von dem Sohne Gottes als der Mittelpunkt des christlichen Glaubens*, in libro semestri: *Magazin für christliche Prediger.* Hannover 1817. B. II, St. 1. p. 1 ss.

§. 74.

Doctrina biblica de Iesu Dei filio.

Iesus ipse, dum in hisce terris versatus est, se primum *filium hominis* adpellitauit (Matth. XVI, 13 sq. Ioh. I, 52.), sensu ambiguo (Ioh. XIII, 34.) hominem tamen et humanam sortem (Ioh. XIV, 28.) designante [a]); deinde politicam Messiae Dauidisque filii dignitatem auersatus (Ioh. VI, 15. Matth. XXII, 42.), diuinique contra filii nomen occupans (Matth. XVI, 16. Ioh. III, 16. X, 36.), aduentum coelestem (Ioh. III, 12. VI, 62. VIII, 58. XVII, 5.), potestatemque diuinam (Ioh. V, 22. Matth. XXV, 31 sq. XXVIII, 18—20.), tanquam praedicata Messiana, tum proprie, tum sensu morali (Ioh. X, 30. 35.) sibi vindicauit [b]). Doctoris coelestis vestigia pressit *Ioannes*, qui λόγον, h. e. verbum (Psalm. XXXIII, 6.), vel σοφίαν [c]) numinis, mundi conditricem (Ioh. I, 3.) et a vatibus iam olim non alienam (Sap. Salom. VII, 27.) in Iesu formam humanam sibi induisse statuit (Ioh. I, 14 sq.) [d]). Singularem viam ingressi sunt *Paulus* et epistolae ad Hebraeos *auctor*, qui σοφίαν (Col. II, 3. 9.), vel naturam Christi sublimiorem ante omnia creatam (Col. I, 15. Apocal. III; 14.) [e]), post mundum ab ea conditum (Col. I, 16. Hebr. I, 2 sq.) ad formam seruilem Iesu descendisse (Phil. II, 7. Hebr. II, 14.), deinde postliminio in coelum receptam summamque inter spiritus creatos omnes dignitatem a patre nactam esse contendunt (Phil. II, 9.

Col. I, 15 sq. Ephes. I, 20—23. Hebr. I, 2. 4.)[f]). Ex his vero dictis in locum vnum congestis patet, Dei *nomen* (Ioh. I, 2. X, 34 s.), *virtutes* (Matth. XXVIII, 18. Ioh. VIII, 58. Col. II, 9.), *opera* Ioh. I, 3. Col. I, 15 ss. Hebr. I, 2 s. Ioh. V, 21 ss. Phil. III, 20 s. Act. XVII, 31.) et *honorem* ipsum Ioh. V, 23. Phil. II, 23. Hebr. I, 6.) filio a scriptoribus sacris diserte tribui[g]).

a) Conf. Dan. VII, 15. Ezech. I, 2. et inprimis rabbinicum ברנש in libro Sohar saepissime obuium, cui υἱὸς ἀνθρώπου maxime respondere videtur. Vid. *theolog. bibl.* tom. I. p. 193 sq.

b) Act II, 22. XVII, 31. certe Iesus recens in coelum sublatus adhuc *homo* vocatur.

c) *Tertullianus* adu. Prax. c. VI. init. c. XIX. de fide et symbolo, c. XI. *Ignatius* λόγον adpellat σοφίαν (ad Smyrnenses ed. Vedelii p. 163.): *Iustinus* M. δύναμιν λογικὴν καὶ σοφίαν (dial. cum Tryphone ed. Thirlb. p. 266.): *Alexander*, aduersarius Arii, θεοῦ σοφίαν ἀληθινὴν (apud *Socratem* H. E. I, 6.). Plane adstipulatur *Cyprianus*; *sermo* et *filius* Dei est *verbum* Dei, *ratio*, *sapientia* eius et gloria: de vanitate idolorum c. 6. In *constitutt. apostolicis*, formula solemnis in sacra coëna adhibita, θεὸς λόγος, explicatur per σοφίαν ζῶσαν (l. VIII. c. 12.). *Melanchthon* in corpore doctrinae λόγον ὑφιστάμενον diserte opponit *sono euanescenti* eumque adpellat *sapientiam*, *subsistentem Dei imaginem* (Lips. 1572. p. 871.). Eodem sensu occurrit vocabulum λόγος de Iesu usurpatum apud Sibyllistas, teste *Thorlacio* in *Münteri* miscellaneis Hafniensibus (Hafniae 1816. t. I. fasc. 1.

p. 131 ss.). Neque poenitebit contulisse *Lutherum* (opp. t. X. p. 21. XI. p. 217.).

d) Vt verum fatear, λόγος Ioanneus nihil aliud est, quam מימר יי Gen. I, 3., דבר יי Ps. XXXIII, 6., λογος παντα δυνάμενος Sap. Sal. XVIII, 15. ῥῆμα θεοῦ Ioh. X, 35 Apoc. XIX, 13., verbum Dei iam in creatione mundi efficax, in prouerbiis autem et Siracide sapientiae personam induens. Vide *Keilii* opusc. theol. Lips. 1821. p. 484 s. *Eichhorn's* Einleit. in's N. T. Leipzig 1810. II, 151 s.

e) *Theolog. bibl.* tom. I. p. 218 sq.

f) Κτίζειν h. l. qua rem idem esse ac γεννᾷν, efficiunt loca Prov. VIIJ, 22. ibique LXX, Sirac. XXIV, 12. Apoc. III, 14. XIX, 13. *Bertholdt* histor. krit. Einleitung IV, 1845 s. Cabbalistae ipsi, qui sublimiorem Christi naturam eandem esse cum sapientia docent (Ies. XI, 2. Prov. l. c.), Messiam tamen cum λόγῳ diuino gradu hyperaziluthico, vel hypostatico coniunctum esse volunt. *Cabbala denudata* II, 231 s.

g) Recentiorum interpretum de his locis sententias vide in *Bertholdti* Christologia Iudaeorum Iesu apostolorumque aetate. Erlangae 1811. p. 104 s. *De Wette* bibl. Dogmatik. Berlin 1813. p. 270 s. *Wegscheideri* instit. theol. christ. dogm. Halae 1815. p. 84 s.

§. 75.

Doctrina ecclesiae de diuinitate filii.

Docetur itaque in ecclesia christiana: *Iesus Christus est Dei filius, non per creationem, vel adoptionem et conceptionem miraculosam*

sed per generationem aeternam, qua, *licet αὐτόθεος propter aeternitatem naturae, secunda tamen est diuinitatis persona propter communicationem essentiae* (Hebr. I, 3. 5. Luc. I, 35. 1 Ioh. V, 1) [a]). *Neque tamen patre inferior, sed eiusdem potius cum eo est essentiae, tum propter nomen Dei* (Ierem. XXIII, 6. Ioh. I, 1. Rom. IX, 5. 1 Ioh. V, 20. 1 Tim. III, 16. Act. XX, 28.) *et attributa* (*aeternitatis* Apoc. XXII, 13. *omnipotentiae* ib. I, 8, *omniscientiae* Col. II, 3. Ioh. XXI, 17. *maiestatis* Ioh. XVII, 5. Col. II, 9.); *tum propter opera* (pater enim *per eum creauit* mundum Ioh. I, 3. 10. Ephes. III, 9. Col. I, 16. Hebr. I, 2. eumque *conseruat* ibid. V, 3. et *gubernat* Matth. XXVIII, 20.) *et cultum diuinum* (Ioh. V, 23. Phil. II, 10.) [b]). *Differt autem a patre proprietate incommunicabili γεννησίας aeterna, a spiritu communicatione essentiae, quam spirationem actiuam adpellant, ab vtroque participatione corporis humani* (Gal. IV, 4. Hebr. II, 14.) [c]). His vero notis cum ab iis, qui verum Dei filium in vniuersum reiiciunt, tum ab iis, qui ἀνυπόστατοι, ἑτεροούσιοι et ὁμοιούσιοι vocantur [d]), tum ab iis denique, qui errorem antiquum de mundo Dei filio recoquunt, summo studio distingui vult ecclesia nostra [e]).

a) *Melanchthon* loci theol. de filio, ed. Lips. 1572. p. 315. *Chemnit.* loc. I, 128 sq. cum quo conferenda est similis adumbratio *Lessingii* im theol. Nachlafs. Berolin. 1784. *Seiler* über die Gott-

heit Christi, beides für Glaubige und Zweifler. Leipzig 1775.

b) Notandi sunt hoc loco cum ii, qui dicta excitata post *Grotium* de creatione morali interpretantur, tum Zinzendorfiani, qui Iesum tanquam *creatorem principem* olim coluerunt, inuito Paulo (Phil. II, 11. Rom. XI, 36.) et symbolo Nicaeno. Vide egregiam b. *Griesbachii* dissertationem *de mundo a Deo patre condito per filium.* Ien. 1781.

c) Conf. *Socrates* histor. eccles. lib. I. c. 8. *Ioannes* Damasc. expos. orth. fid. lib. I. c. 9. *Libri symbol.* Aug. Conf. init. et symb. Athanasiano: *Calou.* l. c. *Apolog. Aug. Conf.* prolog. in fine.

d) Veteres ecclesiae patres ὁμοουσίαν filii cum patre, qua sibi parum constitisse videntur in decretis synodi Antiochenae aduersus Paulum Samosatenum, atque Nicaenae aduersus Arium coactae, iam secundo seculo adseruisse, luculenter testatur *Tertullianus*, qui eandem Christi relationem ad patrem esse docet, quae *radii est ad solem* (aduers. Praxeam c. XIII.). De interno autem *personarum* discrimine serius excogitato longe aliter sentit: secundo enim eiusdem libri capite monet, personam esse *gradum*, *formam*, *speciem diuinitatis;* deinde loco excitato addit, *tres in Deo* esse, non secundum essentiam, sed *secundum oeconomiam*, *quae facit numerum.* Tertulliano auctore igitur non tam disputandum erat de triplici Dei natura, quam de trifera numinis reuelatione per Christum hominibus salutari. Neque negari potest, hunc articulum magis historicum esse, quam metaphysicum.

e) Discedimus itaque a *Iudaeis* et *Muhamedanis* (Sur. IX, 22. *Fundgruben des Orients*, I. 282 ss.);

a *Sabellianis*, *Arianis* et *Photinianis*; a philosophiae naturalis propugnatoribus, qui Platonicas fictiones in vsus suos conuertunt.

§. 76.

Censura huius doctrinae.

Neque tamen defuere per longum seculorum decursum, qui hunc articulum, tanquam ecclesiasticarum accessionum copia laborantem, ad primaeuam institutionis euangelicae simplicitatem reuocandam esse, argumentis haud spernendis contenderent. Quamuis enim Christum ipsum sibi existentiam et gloriam diuinam paremque honorem vindicare (Ioh. V, 23. VIII, 58. XVII, 5 ss.) nullo modo inficias iuissent; monuerunt tamen, nulla vestigia conscientiae huius status diuini, quae personae ante natiuitatem distinctae existentiam arguerent, in sermonibus domini reperiri [a]); intimam potius naturae suae cum patre societatem diserte ab eo legatione diuina et communicatione verbi probari (Ioh. X, 35.); omnipotentiam, dummodo loca temere excitata recte explicentur (Matth. XI, 27. XXVIII, 18.) [b]), creationem et gubernationem mundi nuspiam ab eo affectari; secundum euangelia eum unice procuranda generis humani salute occupatum esse (Ioh. XVIII, 36. Matth. VXIII, it.); perfectam denique filii patris aeterni personam, in quam humana eius natura desinere debet, in uniuersum vix cogitari, saltem sine er-

roris, in quem Apollinaris delapsus est, periculo repraesentari atque defendi haud posse. Cauendum itaque esse, ne legem sibi a domino ipso scriptam (Ioh. X, 29. XIV, 28.) in dignitate eius diuina adserenda nimio pietatis feruore abrepti migremus c).

a) Ipse b. *Noesseltus* interpretatur Ioh. XVII, 5. de gloria ab aeterno praedestinata Christo: *opusc.* t. II. p. 72.

b) Iesus ipse explicat utrumque locum de potestate salutis in omne genus humanum conferendae Ioh. XVIII, 2.

c) Vid. b. *Loeffleri* additamenta ad librum: Versuch über den Platonism der Kirchenväter. Zweite Auflage. Züllichau 1792. p. 382 ss.

§. 77.

Continuatio.

Neque satis erat doctoribus, trepidare in locis singulis, quibus Christus se ipsum a patris essentia plane secludere videtur (Matth. XIX, 17. Ioh. XVII, 3.). *Iohannes* etiam, dum in prologo euangelii sui ubique Salomonis (Prov. VIII, 22 s.) et Siracidis (XXIV, 1—16.) vestigia premit, ita nobis depingit λόγον, qui in Christo humanam speciem induit (v. 14.), ut disseminationem eius per varias hominum aetates non plane improbet [a]). Pari modo *Paulus* diuinam Christi naturam non solum hinc inde tanquam deriuatam e numine eique subie-

etam sistit (1 Cor. III, 23. Col. I, 15. Phil. II, 5. 1 Cor. XV, 27.), sed imperii eius finem etiam praeordinatum esse docet (ibid. v. 28.), recteque intellectus in sententia simplici acquiescere videtur, Deum infuisse Christo (2 Cor. V, 19.) [b]). Hoc saltem negari nequit, primos ecclesiae patres de Christi natura diuina mitius sensisse sequioribus [c]); quare nostra aetate non Arii solum error reuixit [d]), sed Nazarenorum etiam atque Photini opinio patronos bene multos nacta est [e]).

a) Quemadmodum enim Salomo sapientiam a Deo ante secula genitam (v. 25.), hominibus, quos in deliciis habebat, adstitisse iisque multifariam doctrinam salutarem quasi *praelusisse* (v. 30.) canit; ita Siracides monet, eandem σοφίαν, quae etiam λόγος θεοῦ adpellatur (Sap. Sal. IX, 1 s.), inter omnes populos domicilium (Sir. XXIV, 10.) posuisse et iam ante Christum habitauiisse in terra Israelitica (v. 16.); quod plane confirmatur a Iohanne (I, 5.), ita tamen, ut veram verbi, vel sapientiae lucem in Christo demum emicuisse doceat (v. 9.). Idem verbum Christi, tanquam λόγον θεοῦ σπερματικόν, vel διεσπαρμένον etiam in Solonem, Hemolitum aliosue viros sapientes collatum fuisse, diserte testatur *Iustinus Martyr*. Procul dubio igitur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ (1 Ioh. I, 1. Apoc. XIX, 13.) ex mente Iohannis Christo erat coniunctissimus; noluit tamen hac sententia patrem exuere vi verbi aeterni, sed Christi solummodo praestantiam omnes generis humani vates longe superantem clarissima in luce collocare. Iulianus tamen acerrime perstringit Iohannem, quod primus ausus sit, Christum adpellare deum. Vide *Cyrillum*

contra Iulianum, edit. Spanheim. Lipsiae 1696. lib. X. p. 227.

b) M. bibl. Theologie, ed. 2. p. I. p. 225 ss.

c) Soliti erant, Christo carmen dicere *quasi* Deo. *Plinii* ep. X, 97. *Münscher's* Dogmengeschichte. Ed. 2. t. I. p. 434 ss.

d) Filium Dei rerum *creatarum* primum fuisse, per quem cetera omnia facta esse putat, viris equis contendit *Miltonus* de doctrina christiana ed. Sumneri. Brunsvigae 1827. p. 60 ss.

e) „Unter Gottes Sohn ist Iesus Christus zu verstehen, inwiefern er *vermöge seiner göttlichen Erhabenheit* der besondere Gegenstand des göttlichen Wohlgefallens und ein Führer zu Gott ist." *Tzschirner's* christl. Glaubenslehre. Leipz. 1829. p. 235.

§. 78.

Summa huius articuli.

Hisce autem argumentis rite perspectis facili negotio intelligemus, duas esse huius loci partes, *metaphysicam* atque *ethicam*. *Prima* continetur imagine Dei inuisibilis (Col. I, 15. Hebr. I, 3.) in homine coelesti, vel perfectissimo (Luc. I, 35. Rom. VIII, 29. 1 Corinth. XV, 47. Ephes. IV, 24.) resplendescente, cui verbum salutare (1. Ioh. I, 1. Act. XIII, 26.), vel lumen salutis (Ioh. I, 4. Act. III, 15.) inest, quare pater coelestis non nisi in eo (Ephes. I, 4.) genus humanum eligere eiusque necessitatibus succurrere voluit (Ioh. III, 15 s. Rom. VIII, 32.). *Altera* pars huius loci argu-

menti moralis est atque docet, Iesum Nazarenum hanc imaginem ἔνθεον gloriaeque diuinae plenam (Sapient. IX, 4. Ioh. XVII, 5.) sapientia et virtute adeo ima mente et conscientia recepisse, ut mortalium, qui coelestis sobolis sunt (Act. XVII, 28.), omnium cum patre diuino sit coniunctissimus (Ioh. X, 29. XII, 45. XIV, 11. XVII, 22 s.) eiusque loco (Ioh. XIV, 9. V, 19.) cognitionem salutarem (Luc. I, 77. XXIV, 47.), redemtionem a vi peccatorum (Ioh. VIII, 34 s.) vitaeque aeternae spem certissimam (Ioh. X, 28. XI, 25 s.) iis unice offerre queat (Ioh. XV, 5.) *a*). Differt itaque Christus ab omnibus, qui inter nos e Deo nati dicuntur (1 Ioh. V, 1.), summa, hoc est ea patris aeterni proximitate, quam veteres ὁμοουσίαν adpellarunt. Vocabuli nouitate autem intimo patris et filii commercio noua lux haud adfunditur.

a) Egregie hunc articulum pertractauit *Schleiermacherus* in libro: Der christliche Glaube. Berlin 1822. t. II. p. 278 ss.

§. 79.

5) *De spiritu sancto: doctrina biblica.*

Auctores sacros, praesertim V. T. quemadmodum in homine corpus et mentem distinguunt, ita discrimen simile a numine ipso alienum haud putauisse, probabile est (1 Cor. II, 10 sq.). Sistitur enim spiritus diuinus *in libris V. T.* primum tan-

quam *natura spirans* et *spirabilis*, quae vitam et halitum immittat hominibus (Gen. I, 2. II, 7. Ps. CIV, 29. Hiob. XXXIII, 4. 1 Sam. XVI, 14—16.); deinde tanquam *causa mouens* in vniuersum, quae vires ingenii animique humani excitet, alat et foueat (Exod. XXXI, 1—5. Gen. XLI, 38 sq.), propterea que mentibus eorum illabatur, in iisque sedem figat (Psalm. LI, 11—16. CXLIII, 10.) [a]). Spiritum *sanctitatis* (venerandum) adpellant prophetae (Psalm. LI, 13. Ies. LXIII, 10.); spiritum sapientiae (Sap. I, 4—6. VII, 22. IX, 17.) et *sanctum* Hellenistae demum in apocryphis (Sap. Salom. IX, 17.) [b]) Histor. Sus. v. 45.) In *libris T. T.* idem spiritus sanctus non *diuinus* solum adpellatur (Ioh. XV, 26. 1 Cor. II, 11. III, 16. Act. V, 4.), *personaeque* speciem sibi induit (Matth. XXVIII, 19. Ioh. XIV, 16. XV, 26. 2 Cor. XIII, 13.); sed multa etiam, ex parte miranda operatur, physice (Luc. I, 35.), in intellectu (Ioh. XV, 26. XVI, 13 sq. Act. II, 1 sq. X, 44 sq. 1 Cor. XVII—XIV.) et animis (Rom. VIII, 14—16. 1 Cor. III, 16. VI, 19.) Christianorum, adeo, vt omne fere generis humani commercium coeleste ad spiritum sanctum reuocetur [c]).

a) In libris Iudaeorum, praesertim in libro זוהר, spiritus Dei cum spiritu hominis adeo coniunctus esse dicitur vt in hunc perpetuo influat et in Deum refluat. Vid. commentat. nostr. *de vestigiis theologiae Judaicae in epistola Pauli ad Romanos*, in apusc. nou. theol. Gotting. 1803.

b) Conf. *biblische Theologie des neuen Testaments*, tom. II. Lips. 1801. p. 339 sq.), quo loco spiritum sanctum eundem esse cum λόγῳ (post *Iustinum* M. dial. p. 2. *Irenaeum* adu. haer. I, 19. et *Ioannem* Damascenum lib. III. c. 2.) contenditur, cum nostra *theol. bibl.* tom. I. p. 245 sq. et Ioh. VII, 39. Adde *Grotium* ad Marc. II, 5., Platonism der Kirchenväter, ed. 2. p. 38. 471., *Bretschneideri* librum: Dogmatik und Moral der Apokryphen. Leipz. 1805. Th. I. p. 246. et in contrariam sententiam doctam commentationem in *Flattii* Magazin für christliche Dogmatik u. Moral. St. IV, p. 34 sq.

c) Post haec delibetur historia doctrinae de spiritu sancto ad ecclesiastici vsque dogmatis originem. Vid. *Theodoreti* hist. eccles. lib. V. c. 9. *Athanasii* epistola ad Serapionem op. ed. Colon. t. I. p. 123 sq. *Chemnitii* loc. theol. t. I, 237. *Lequien* dissert. Damasc. I. §. 2 ss. *Petauii* dogmata theol. I, 7. 3 et 4. *Walch's* Historie der Ketzereien, tom. III. p. 70 sq. *Baumgarten's* Polemik, Th. I. pag. 375 sq. *Episcopii* instit. theol. opp. t. I. 345 sq. et ante omnes *Diegleri* historia h. d. in libro: *theologische Abhandlungen.* Götting. 1791. tom. I. p. 70 sq.

§. 80.

Doctrina ecclesiastica.

Tertia persona diuinitatis est spiritus sanctus, eiusdem cum patre et filio essentiae, quia in libris sacris nomen (Act. V, 3 s. 1 Cor. III, 9. 16. Act. XX, 28.), *attributa* (1 Cor. II, 10 s.

Sap. VII, 23. Psalm. CXXXIX, 7. Sap. I, 7.), *opera* (Gen. I, 3. Psalm. XXXIII, 6. Luc. I, 35. Act. XX, 28.) *et cultus religiosus* (Matth. XXVIII, 19. Rom. IX, 1.) *ei vindicantur. Sensu absoluto quidem, vel essentiali ad vniuersam Dei naturam pertinet* (Ioh. IV, 24. Rom. I, 4.); *relatiuo autem singularem induit hypostasin propter praedicata et opera personae, quae ei diserte tribuuntur* (Ioh. XIV, 16. 17. 26. XV, 26. XVI, 7—13. 2 Cor. XIII, 13.)[a]. *Differt autem a patre et filio interne spiratione passiua* (ἐκπορεύσει, πνοῇ, ἐκφοιτήσει, ἀναβλαστήσει), *vel modo, quo eandem numero essentiam a patre* (Ioh. XV, 26. Matth. X, 20) *et filio* (Ioh. XVI, 7. 14 s. Rom: VIII, 9. Gal. IV, 6) *accepit, ita, vt ab illo ἀμέσως*, ab hoc *ἐμμέσως procedat*[b]); *externe autem missione in animos hominum* (Act. II, 4. 1 Cor. XII, 3 s.). Negari nequit, huic doctrinae auctoritatem s^{ae}. s^{ae}. literalem satis commode praetexi posse. Superest tamen quaestio de prosopopoeia spiritus *sanctitatis* et *veritatis* dogmatica, vel mere rhetorica, eaque nondum satis expedita. Vtraque enim virtus personalis ex ipsis sacris literis non solum deriuari poterit (Rom. VIII, 26. 1 Ioh. V, 6.), sed ad patrem etiam, tanquam personam principem, revocatur (Ioh. III, 34. 2 Cor. V, 5.).

a) *Athanasii* dialogus cum Macedoniano (opp. ed. Colon. t. I. p. 261 sq.). *Gregor.* Nazianz. orat. 37. *Ioannes* Damascen. lib. I. c. 10. de spiritu sancto:

LL. SS. symb. Athanas. *Aug. Conf.* art. I. *Calou.* l. c. *Chemnit.* I, 226. sq.

b) Patres graeci inde a sec. IV[to]., dum spiritum sanctum adpellant εἰκόνα λόγου, satis docent, notionem eius rite deduci non posse, nisi λόγου natura ante constituta: ipse enim *Sibyllista* πνεῦμα ἅγιον, tanquam effectum et consectarium refert ad λόγον πατρὸς (l. VII, 61.). *Theodoretus* hanc processionem a filio primus negauit (*contra anathematism. Cyrilli an.* IX.); *Iohannes Damascenus* autem ἐκπόρευσιν spiritus a patre deriuauit *per* filium (de orth. fide I., 8. 12); inde Graecorum dissensus a *Photio* praesertim excitatus propter vocem *filioque* symbolo Nicaeno-Constantinopolitano temere insertam, quod non ante sec. VII. factum esse constat *Lequien* dissert. Damasc. I. §. 27. *Vossius* de tribus symbolis diss. III. §. 16.

§. 81.

Doctrina ecclesiastica de trinitate.

In hoc manifesto *patris, filii* et *spiritus sancti* discrimine, a Iesu et apostolis tradito (Matth. III, 16 sq. XXVIII, 19 sq. Ioh. XIV, 16 sq. 2 Cor. XIII, 13.), et a patribus *τριάδος*, vel *trinitatis* nomine insignito *a*) placuit sensim in ecclesia, diuinitatis *essentiam* (*οὐσίαν*) et *substantias* eius, vel potius *subsistentias* (*ὑποστάσεις, πρόσωπα*) distingui *b*), hac nimirum formula: *essentiam Dei esse vnam et indiuisibilem, tres autem in ea hypostases, vel personas perfectas, consubstantiales et coaeternas, patrem, filium et*

spiritum sanctum [c]). Ignorare nos noluerunt doctores ecclesiae veteris, monotheismum Iudaeorum, qui apud Cabbalistas iam in triadem quandam diffluxerat [d]), et polytheismum gentilium hac sententia in vnam coaluisse [e]); nostri autem coetus fundatores, vt fraudes nouas praecauerent, monuerunt, *personam esse id, quod proprie subsistit, hoc est substantiam indiuiduam, intelligentem et incommunicabilem* [f]). Quam notionem asperam et ad tritheismum procliuem [g]), post turbas inprimis a *Serveto* motas [h]), dum iam ante *Buddeum* [i]) emollire conabantur theologi, nonnulli Sabellianismi scopulis illisi [k]), alii cum *Clarkio* [l]) et *Purgoldio* [m]) ad Arii et Origenis errores relapsi sunt. In tanta itaque commentorum varietate pars theologorum doctrinam symbolicam mordicus tenuit, variis eam similitudinibus illustratura [n]); pars eam a libris sacris et sana ratione plane alienam esse contendit [o]); pars concordiae studens in beneficiis huic doctrinae adnexis sine inuestigatione subtilitatum dogmaticarum adquiescendum [p]), pars denique nouis iterum philosophematibus eam illustrandam esse putauit [q]).

a) Post Theophilum Antiochenum de *trinitate* multa disseruit *Tertullianus* aduers. Praxeam c. 2 sq. Conf. locum egregium in *Lutheri* opp. t. XI. p. 1549. ed. Walch.

b) Locus princeps legitur in ep. XLII. *Basilii*: *τὸ κοινὸν ἐστιν ἡ οὐσία, τὸ ἰδίως λεγόμενον ὑπόστασις.* Confer *Theodoreti* histor. ecclesiast. lib. V. c. 8. Inge-

mue tamen fassus est *Augustinus: dictum est tres personae, non vt illud diceretur, sed ne taceretur.* De trinit. lib. V. c. 9.

c) *Athanasius* dialog. de sancta trinitate, opp. ed. Colon, tom. II. pag. 158 sq. *Ioannes* Damascen. lib. I. c. 8. *Augustan. Confess.* art. 1. de Deo. *Melanchthon* loc. theolog.: *de tribus personis diuinitatis*, p. 315. *Calou.* l. c.

d) *Knorr a Rosenroth* cabb. denud. Sulzb. 1677. p. II. pag. 275 ss.

e) *Ioannes* Damascenus *expos. orth. fid.* lib. 1. c. 7. *Ex vtraque haeresi, Iudaica et gentili, nobis accessit vtilitas:* ἐκ μὲν τῆς Ἰουδαϊκῆς ὑπολήψεως ἡ τῆς φύσεως ἑνότης· ἐκ δὲ τῆς ἑλληνισμοῦ ἡ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάκρισις.

f) *Aug. Conf.* l. c. *Melanchth.* ibid. *Chemnit.* I, 78 sq.

g) Substantia enim indiuidua (ὑπόστασις μερικὴ) et intelligens indiuiduam etiam et sibi singularem habere debet voluntatem, ideoque ab essentia et tritheismo *Philoponi* parum differt. Vid. *Ioan.* Damascen. lib. I. c. 8. de *supersancta trinitate.* Docuerat tamen ipse *Lutherus: von diesen Personen ist iegliche der ganze Gott.* Von den drei Personen im göttl. Wesen (opp. t. X. p. 218 ss.).

h) *Chemnit.* I, 85. *Curcellaei* dissert. theolog. de vocc. *trinitas*, *persona* etc. (opp. theol. Amstel. 1675. p. 811 s.) §. 59.

i) *Institution. theolog. dogmat.* Lipsiae 1724. pag. 301 sq. Cf. historiam huius doctrinae in *Gerhardi* locis ed. Cottae, t. II, 343 sq.

k) Vide longum indicem apud *Schlegelium:* Erneuerte Erwägung der Lehre von der heiligen Dreieinigkeit. Riga 1892. p. II. Sect. II. pag. 107 sq. *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, fort-

gesetzt von *Iunge*, tom. VI. Norimbergae 1796. p. 203 sq.

l) Die Schriftlehre von der Dreieinigkeit, von *Samuel Clarke*, mit einer Vorrede v. *Semler*. Frankfurt und Leipzig 1774.

m) Resultat meines mehr als funfzigiährigen Nachdenkens über die Religion Iesu. Zweite Auflage. Leipzig 1788.

n) *Silberschlag's* Lehre der heil. Schrift von der Dreieinigkeit. Berol. 1783. Conf. *Schlegel* l. c. p. 109.

o) *Semleri* institutio ad doctrinam christianam liberaliter discendam. Halae 1774. pag. 313. *Niemeyer's* populäre u. praktische Theologie. Halle 1799. ed. 4. p. 310 sq.

p) *Mori* epitome theolog. Christianae, ed. 3. Lipsiae 1795. p. 69 sq.

q) *Mellin's* encyklopäd. Wörterbuch der kritischen Philosophie, t. II, 818 sq. *Fessler's* Ansichten von Religion und Kirchthum, I, 56. *Daubii* theologumena, §. 124 sq. *Schelling's* Ideen zur Naturphilosophie. Ed. 2. p. 139.

§. 82.

Epicrisis.

In tanta decretorum et opinionum diuersitate difficile est omnino suam hac de re eloqui sententiam. Ne autem eximiorum ecclesiae nostrae theologorum studia fructu suo apud nos careant, dissimulare nolumus, nostro iudicio *vnitatem numinis* e scriptura sacra (Deut. VI, 4. Ioh. XVII, 3. Ephes. IV, 6.) haustam ad *Deum*, *trinitatem personarum* vero a patribus sancitam ad *homines*

referendam esse. Deus enim in vniuersum sine personarum discrimine cogitatus interdum in ipsis literis sacris creator (Rom. I, 25.), redemtor (Ies. LXIII, 16. 1 Tim. II, 3.) et sanctificator (Ioh. XVII, 17.) adpellatur, quod indiuisam probat essentiae vnitatem summa *ratione* a nobis amplectendam [a]). Idem autem Deus, terrae coelique dominus et gubernator supremus (Matth. VI, 10. Act. XVII, 24.), quatenus se hominibus tanquam *patrem Christi* (2 Cor. I, 3.), *filium*, generis nostri *sospitatorem* (Tit. II, 11. III, 4.) atque *spiritum sanctum* (Ies. LXIII, 12.), sensus filialis, qui ante Christum animis haud insederat (Ioh. VII, 39.), *largitorem* (Rom. VIII, 14.) inde ab euangelii primordiis manifestauit, iam triplicis beneficii coelestis auctor est, in unoquouis eorum *nobis* per se subsistens propRereaque in summae essentiae unitate tanquam euergetes ter optimus maximus colendus atque adorandus [b]). Hinc autem trinitatem vere christianam neque sanae rationi, neque sacris scripturis, neque fidei piorum virorum, qui Christo per omnia secula nomen dederant, aduersari, plane nobis persuasum habemus.

a) Πάντι γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει Τριὰς, ἧς Μονάς ἄρχει. *Zoroastris*, quae putantur, oracula in *Clerici* opp. philos. Lips. 1710. t. II. p. 304.

b) Schlegel's erneuerte Erwägung der Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit. Riga 1792. Th. II. Abtheil. 2. p. 95 ss. Pensées de M. *Pascal.* Amsterd. 1684. p. 111. sect. XX. *on ne connoit Dieu utilement, que par Iesus Christ.*

PARS SECVNDA.

DE

CREATIONE

ET

GVBERNATIONE MVNDI.

PARS SECVNCA.

DE

CREATIONE ET GVBERNATIONE MVNDI.

SECTIO I.

DE

CREATIONE MVNDI.

§. 83.

Introductio.

Deus optimus maximus, dum bonum summum non intra se ipsum contineri, sed etiam extra mentem suam aeternam locum habere voluit (§. 62 s.), creator factus est vniuersi, cuius aeternitatem male defendi a veteribus ipsa ratione duce cognoscimus [a]). Adpellamus autem *mundum* complexum eorum, quae extra Deum existunt, tum corporea, tum intelligentia, omnium; eumque *naturam rerum* vocamus, quatenus certis legibus adstrictus, dimetatus et inter se connexus esse dicitur [b]). Hanc vero rerum naturam notionem non primariam, sed deriuatam, ideoque *mundum creatum* esse contendi-

mus, *quia existentiae eius plena et aeterna ratio in sola numinis voluntate quaerenda est* [c]). Distinguimus in condenda hac rerum vniuersitate creationem *mundi* et terrae in specie, *angelorum* et *hominum*.

a) *Thomasius* de Platonica mundi aeternitate, in dissertatt. ad historiam Stoicae philosophiae facientibus. Lips. 1676. p. 37 ss.

b) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 446 sq. *Schulze's* Untersuchung der Theorie des Unendlichen. Königsberg 1788. *Kant's* allgemeine Naturgeschichte und Theorie des Himmels. Königsberg 1755. I. Frankfurt 1797. *Bode's* Kenntniſs des gestirnten Himmels. 6te Auflage. Berl. 1792. *Eiusd.* allgemeine Betrachtung über das Weltgebäude. S. 184 sq. *Iacob's* allgemeine Religion, pag. 147 sq. *Lambert's* cosmologische Briefe. Augsburg 1761.

c) Qui creat omnia, condit etiam secula et tempora; quapropter creatio proprie sic dicta repeti nequit nisi a voluntate potentissima et aeterna. Multa propter hanc obseruationem neglectam de creatione inique commenti sunt philosophi, vt bene animaduertit *Bouterwek* in libro: Apodiktik, tom. II. p. 319 sq. Cf. *Garve* über Gottes Daseyn, p. 36 sq. *Köppen's* Darstellung des Wesens der Philosophie. Nürnberg 1810. p. 89 s.

§. 84.

Philosophorum de creatione commenta.

Iuuat tamen perlustrare antea varias philosophorum de creatione mundi coniecturas. Occurrit enim primum *Hylozoismus* (Sap. Salom. XI, 18.), tum poeticus *Orphei*, tum cosmophysicus *Thaletis*, *Anaximenis*, *Anaximandri* et Ioniorum in vniuersum, cui Diodorus Siculus, Ouidius, quid quod ipse Origenes calculum adiecit propter prima philosophiae naturalis semina, quae ei inesse videntur [a]). Deinde considerandus est *concursus atomorum* ab Epicuro excogitatus, quae pondere suo deorsum latae adhaesitatione et copulatione corporum indiuiduorum inter se mundum et singulas partes eius effecisse credebantur [b]). Sequitur *Emanatismus,* vel Gnosticismus, quo longa geniorum serie demiurgum, vel mundi conditorem a numine processisse statuitur, quem spiritu suo rerum vniuersitatem alere et fouere atque singulari luce radione cum summo Deo cohaerere volunt [c]). Iterum alia docet *Pantheismus Eleaticorum* a Spinoza resuscitatus, quo unam in vniuersum esse substantiam mundumque ad ipsam Dei essentiam pertinere adfirmatur [d]). Neque vel nostris temporibus defuerunt, qui tantas huius doctrinae difficultates philosophando aegerrime superari posse siue contenderent [e]), siue coniecturis suis probaturi essent [f]).

a) *Eschenbachii* Epigenes de poesi Orphica. No-

rimb. 1702. p. 111 ss. *Tiedemann's* erste Philosophen Griechenlands. Leipzig 1780. pag. 47 ss. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. Göttingen 1796. I, 190 ss. *Diodor.* Sicul. I, 6 s. *Ovid.* metam. I, init. In contrariam partem vid. *Tertullianus* contra Hermogenem c. I. *Euseb.* praeparat. euangel. lib. VII. c. 19 sq. *Abbadie* verité de la relig. chret. p. I. c. 6. §. 4. *Buddei* theses de atheismo, p. 236. *Platner's* Aphorismen. Ed. 2. Lipsiae 1793. t. I. §. 1045.

b) *Diogen.* Laert. lib. X. c. 24. *Lucretius* de rerum natura, lib. I. v. 500 sq *Cicero* de nat. Deor. I, 24. de finib. lib. I. c. 6 sq. *Lactantius* de ira diuina, c. 9. *Euseb.* praeparat. euangel. l. I. c. 8. tot. *Cudworthii* syst. intell. p. 815 sq. *Fenelon* de l'existence de Dieu. Amsterdam 1729. tom. I. p. 136 sq. *Meiner's* historia doctrinae de vero Deo, p. 522 sq.

c) *Plato* in Timaeo: *Virgil.* Aeneid. VI, 727 sq. ibique Heynii excursus XIII. *Irenaei* aduers. haeres. lib. I. c. 1 sq. *Buddei* theses de atheismo, p. 255 sq. *Tiedemann's* Geist der speculativen Philosophie, t. III. p. 156 sq. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie, tom. IV. p. 156. *Schelling's* Weltseele. Hamburg 1798. Gnosticismo ceterum adfinis est *Dualismus*, de quo vide *Chemnitium* l. th. I, 289 sq.

d) Vid. *Lactant.* instit. II, 5. *Spinozae* opera posthuma, 1677. 4. p. 12 sq. *Herder's* Gott, pag. 184 sq. *Fenelon* loc. cit. pag. 231 sq. *Mendelssohns* Morgenstunden, p. 211 sq. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 228. 454.

e) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft; Antinom. 1. p. 348 sq.

f) Cf. *Fichte's* Grundzüge des g. ZA. p. 280 et 535. *Schelling's* Philosophie u. Religion, p. 18. *Fries's* Wissen', Glaube und Ahnung. Iena 1805. p. 81 et in contr. sent. *Iacobi* von den göttlichen Dingen etc. Leipzig 1811. p. 32—40.

§. 85.

I. Doctrina biblica et ecclesiastica de creatione mundi.

In longe alia abeunt libri sacri, qui cum *poetice,* opere creationis vel in sex dies (Gen. I, 1—31.), vel in tempus indefinitum (Gen. II, 4 sq. Hiob. XXXVIII, 1—7. Ps. CIV, 2—6. Prouerb. VIII, 22 sq.) distributo, tum *simpliciter* rerum omnium existentiam a Deo summo vniuersi auctore repetunt (Psalm. XXXIII, 6—9. Ies. XL, 26. Ierem. X, 12. Nehem. IX, 6. 2 Maccab. VII, 28. Act. XIV, 15. 2 Cor. IV, 6. Hebr. XI, 3.). E locis hisce deriuata est doctrina ecclesiastica: *creationem vniuersi esse actionem numinis externam, qua Deus pater* (Ies. XLIV, 24.) *omnia per verbum* (Ioh. I, 3. 1 Cor. VIII, 6. Hebr. I, 2. Col. I, 16.) *in spiritu sancto* (Ps. XXXIII, 6.) *virtute infinita e nihilo* (Prou. VIII, 26. Hebr. XI, 3. Rom. IV, 17.), *in tempore, hoc est sex diebus, ad laudem gloriae suae produxerit* (Rom. XI, 36.) [a]). Cui sententiae doctores quaestiones admiscuere varias de instrumento creationis [b]), de origine temporis [c]), de ratione, propter quam mundus conditus esse debeat e ni-

hilo [d]), de anima [e]), et de sex aetatibus mundi (Hebr. IV, 9.) [f]), diuersa fortuna in scholis agitatas.

a) *Melanchthon* loc. theol. pag. 334. de creatione. *Chemnit.* I, 275 sq. *Gerhard* loc. theol. IV, 2 sq. *Lutherus* tamen iam monuerat: *Alles, was Gott hat schaffen wollen, das hat er geschaffen dazumal, da er sprach, ob es wohl nicht Alles plözlich allda vor unseren Augen scheint.* Ad genes. cap. III, 2. opp. I, 136.

b) *Ὄργανον*, vel *ἐργαλεῖον, δι᾽ οὗ κατεσκευάσθη κόσμος*, *Philo* diserte adpellat *τὸν λόγον* (de Cherubim opp. ed. Pfeifferi, II, 66.), adstipulante *Luthero*: das *Werkzeug* aber, oder Mittel, so Gott dazu gebrauchet hat, ist sein *allmächtiges Wort*: l. c. p. 27. Reclamatum est a theologis ecclesiae nostrae et a fratribus Morauicis (*Idea fidei fratrum von Spangenberg.* Barby 1779. p. 63.) propter abusum sententiae exemplo Gnosticorum et Arianorum hinc inde gliscentem. Neque tamen, sensu vocis rite constituto, facile quis negauerit, verbum Dei esse *causam* mundi *organicam.*

c) Fuere, qui *initium* (Gen. I, 1. Ioh. I, 1.), ideoque tempus creationem antecessisse, mundumque ipsum siue tempore verno (cum *Ioanne* Damasceno, lib. II. c. 7.), siue autumnali (cum *Silberschlagio.* Geogonie. Berlin 1780.) conditum fuisse autumarent. Alii contra *Platonem* (in Timaeo p. 317. ed. Bipont.) et *Philonem* (de opificio mundi ed. *Pfeiffer*, tom. I. p. 14.) secuti a mundi primordiis demum temporis initium deriuandum esse putauerunt.

d) „Fecisti coelum et terram *non de te*, nam essent

aequalia vnigenito tuo, qui natus est de *substantia tua*, sed *de nihilo*." *Augustin.* confess. lib. XII. c. 7. *Moshemii* diss. de creatione mundi ex nihilo, *Cudworthi* system. subiuncta, p. 950 sq. *Kästner* von der Schöpfung aus Nichts. Göttingen 1770. *Heydenreich* de creatione ex nihilo, in s. Originalideen, tom. I. conf. eiusd. *Betrachtungen* über die natürliche Religion, tom. II. 170 sq.

e) *Platonis* Timaeus l. c. *Lactant.* lib. 2. c. 5.

f) *Lactant.* lib. VII. c. 14. *Augustin.* de catechizandis rudibus, c. 17.

§. 86.

Epicrisis.

Supersunt itaque procul dubio nonnulla curatius adhuc explicanda in doctrina de *nihilo*, de *tempore* et *fine* creationis [a]). *Nihilum* enim, siue negatiuum, siue priuatiuum [b]), non, nisi ab intellectu nudo (discursiuum vocant) cogitari potest, ideoque e summa numinis mente (§. 62.) exulat plenumque solummodo atque perfectum rei antea non existentis initium indicat; quapropter tutius est, mundi, qui per se ipsum non existit (2 Maccab. VII, 28. Rom. IV, 17.), rationem plenam et aeternam (§. 59.) a sola voluntatis diuinae vi et potestate repetere [c]). *Hexäemeron* autem Mosaicum magis *improprie* ad euolutionem et formationem terrae iam creatae, quam *proprie* ad creationem mundi ipsam refe-

rendum esse patet ex origine temporis, creaturis quasi adnexi, aeterna [d]); ex aetate et indole huius monumenti geneseos antiquissimi [e]); ex argumento eius poetico et priscae aetatis simplicitati adcommodato [f]); et ex liberaliori praesertim N. T. doctrina, lusus aetatis primaeuae tacite repudiante (Ioh. V, 17. Matth. XII, 8. Gal. III, 24. Hebr. VIII, 13.). Quare melius esse ducimus, in tanta inprimis geogeniae et historiae naturalis amplificatione nostris diebus facta [g]), qua terrarum orbis vicissitudines omni traditiones antiquiores inuictis argumentis illustratas esse laetamur [h]), absque curiosa modi et temporis mundi creati inuestigatione in simplici N. T. institutione *de Deo terrae coelique creatore et auctore summo* (Psalm. XXIII, 6. Act. XIV, 15 sq. XVII, 24 sq. Hebr. XI, 3.) adquiescere [i]).

a) *Ziegler's* Kritik der Lehre von der Schöpfung in Henke's (altem) Magazin für Religionsphilosophie, tom. II. p. 104 sq.

b) *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 346 sq.

c) Conf. *Plato* in Timaeo, p. 303. ed. Bipont. *Philo* de mundi opificio ed. Pfeiffer, tom. I. p. 10—14. ἀθρόως καὶ ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ: cf. de Genesi ad lit. c. 26. *Kant's* Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 165 ss.

d) Cum Deus, in cuius aeternitate nulla omnino est mutatio, creator sit temporum et ordinator, *quomodo dicatur post temporum spatia mundum creasse, non video.* Procul dubio mundus non factus est *in tempore*, sed *cum tempore. Augu-*

stin. de ciuitate Dei, lib. XI. c. 6. et cum eo *Lutherus* opp. IV, 32. Neque Philo Iudaeus dubitauit narrationem de ἔργῳ θεοῦ ἐξαημέρῳ *rusticanam simplicitatem* (εὐήθως πάνυ) adpellare: *allegor.* l. I. ed. Pfeifferi, t. I. p. 23.

e) *Vitringae* obseruat. sacrae, tom. I. p. 29. *Eichhorn's* Einleitung in's A. T. t. II. p. 28 sq.

f) *Eichhorn's* Urgeschichte, herausgeg. von Gabler, tom. I—III. cum additamento critico. Norimb. 1790—1795, qui liber est princeps. *Ilgen's* Urkunden d. Ierusalemischen Tempelarchivs, tom. I. Halle 1798. *Theologie* des A. T. Leipzig 1796. §. 66. sq. *Pott* über den Schöpfungshymnus, Gen. I. Berlin 1799. p. 114 sq. m. biblische Theologie, t. I. pag. 260 sq. *Kant's* physische Geographie. Königsberg 1802. tom. I. p. 292 sq. *Hasse's* Entdeckungen. Halle 1801. t. I. p. 71 sq.

g) *Kant's* physische Geographie. Königsberg 1802. t. I. p. 230 sq. *Schröter's* selenotopographische Fragmente, t. II. p. 546. *Bode's* allgemeine Betrachtungen über das Weltgebäude, pag. 190 sq. *Mayer's* Lehrbuch der physischen Astronomie, §. 73 sq. *Schelling's* Ideen zur Naturphilosophie, ed. II. p. 130. *Lichtenberg's* verm. Schriften, t. VII. p. 69 sq. *Steffen's* geognostisch-geologische Aufsätze, als Vorbereitung zu einer innern Naturgeschichte der Erde. Hamburg 1810.

h) V. c. collectionibus sceletorum in Siberia repertorum Petropolitanis: Dix années exil de Mad. *de Stael.* Paris 1821. p. 329. *Choulant's* Anthropologie. Dresden 1828. B. I. p. 11. „Der Mensch trat also zuletzt auf die von Geschöpfen aller Art schon längst bewohnte Erde, und ganze Waldungen einer früheren Vegetation waren bereits ver-

sunken, ganze Geschlechter einer frühern, grofsartigen Thierschöpfuug waren wieder von der Erde verschwunden, als er sie betrat."

i) Doctrinam de hexaëmero apud sequiores Iudaeos symbolicam non fuisse, docet *Bodenschatz*, kirchl. Verfassung der Iuden, tom. III. p. 4.

§. 87.

De fine et consilio mundi creati.

Hanc autem tantamque rerum vniuersitatem ita condidit opifex aeternus, vt eam omnium, quae cogitari possint, optimam esse, iure contendamus [a]). Praefixit enim ei hunc finem supremum, *vt bonum summum per gradus communicetur cum creaturis longe plurimis, ita, vt homines praesertim et reliqui spiritus creati e naturae suae imbecillitate identidem emergentes ad maiorem in dies cum numine similitudinem contenderent et virtute sempiterna beati aeternum fierent Dei regnum* (Psalm. VIII, 5. 1 Cor. XV, 46. 2 Cor. III, 18. IV, 16. Ephes. III, 16. IV, 13—15. 1 Ioh. III, 1 sq.) [b]). Quae quidem sententia, mox latius persequenda, probatur *cum* ex natura Dei, qui optimum cognouit, voluit et vi sua infinita perficere potest; *tum* ex nostrae experientiae, quamuis sat arctis limitibus circumscriptae, testimoniis disertis [c]); *tum* ex ipsis scripturae sacrae oraculis (Gen. I, 31. Sap. I, 14. 1 Tim. IV, 4. Sir. XXXIX, 21.). Haec autem iam sufficiunt illustrandae quaestioni: vtrum *glo-*

ria diuina (Ps. XIX, 1 sq. CXXXVIII, 5. Prov. XVI, 4. Ephes. I, 6.) summum creationis consilium adpellari queat [d])?

a) Τὸ πᾶν ξυνιστεκταίνετο, ὅπως ὅτι κάλλιστον εἴη κατὰ φύσιν ἄριστόν τε ἔργον ἀπειργασμένος. *Plato* in Timaeo edit. Bipont. tom. IX. pag. 305. *Leibnitz* essai de Theodicée. Amsterdam 1734. Nolimus itaque contendere, mundum siue finibus in vniuersum carere (quod est impium *Spinozae* commentum: ethic. p. I. §. 36. append.), siue abstrusis plane et ab hominum cognitione remotis consiliis gubernari (*Fries* Wissen, Glaube und Ahnung. Iena 1805. p. 262 ss.), quod fere idem est, ac in clara prouidentiae luce caecutire. Singula quidem ignoramus (Rom. XI, 34.); de finibus mundi autem in vniuersum nemo dubitauerit, nisi demens, vel impius: verba enim εἰς αὐτὸν γὰρ τὰ πάντα (v. 36.) satis illustrant causam finalem: *omnia consilio diuino et morali creata sunt.*

b) *Lactant.* de vita beata, c. 6., quod egregium de fine mundi continet locum. Vide idem argumentum poëtice graphicis coloribus exornatum a *Miltono:* Paradise lost Book, V, 469 sq. *Thiere sind schlafende Intelligenzen; der Mensch allein auf Erden ist eine wachende. Fries* neue Kritik der Vernunft, I, 220 s.

c) *Leibnitz* l. c. §. 348. *Bonnet* contemplation de la nature. Amsterd. 1769. 2 voll. in 8. *Reimarus* Abhandlungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion. Ed. 6. Hamburg 1791. Vierte Abhandl. *Smellie's* Philosophie d. Naturgeschichte, übers. v. Zimmermann. Berl. 1792. Th. II. p 288 sq.

d) Quaestio non biblica est, sed scholastica, et sec.

XII^mo^. ab Aristotelicis formata contra Platonicos, quare theologi eam, haud sine plausu primum exceptam, iterum repudiauerunt, *Baelio* inprimis, *Kingio* et *Moshemio* ducibus. Videantur *Cudworthi* syst. intell. p. 1124 sq. *Gerhardi* loc. theol. IV, 49 sq. *Kant's* Kritik der praktischen Vernunft, pag. 235 sq. Kritik der Urtheilskraft, §. 83 sq. Distingue igitur *finem* mundi creati, qui est perfectio et felicitas creaturarum, a *consectario;* hoc enim numinis gloriam esse, nemo sanus negabit.

§. 88.

II. Doctrina de angelis biblica et ecclesiastica cum epicrisi.

a) De angelis bonis: notio et existentia eorum.

Post conditam rerum vniuersitatem considerandi sunt spiritus homine superiores, numine inferiores [a]). Alterum genus *coelicolas* adpellamus, vel *angelos*, alterum *daemones* cum scriptura sacra. *Angelos* spiritus adpellat Dei ministeriales, custodiendis et saluandis hominibus destinatos (Matth. XVII, 10. Hebr. I, 14.); hoc est, *naturas sanctas inter diuinitatem humanitatemque medias* [b]). Probant *existentiam* angelorum *primum* testimoniis librorum sacrorum disertis (Hiob. IV, 18. Act. XXIII, 8. Matth. XXII, 30. Ioh. I, 52.); *deinde* commercio angelico, ad quod saepius prouocant auctores biblici (Gen. III, 24.

XXVIII, 12. Exod. III, 12. Dan. VI, 22. Luc. I, 26. Act. X, 3. XII, 7. Apoc. XIX, 10.) [c]); *postremum* argumentis ex immortalitate animi humani et progressu animarum intelligentium ductis [d]).

a) Romani veteres *medioxumos* vocarunt, quod et sui ratione et loco et potestate Deis summis sint minores, hominum natura maiores. *Apuleius* de habitudine doctrinarum, l. I. ed. Bipont. t. II. p. 168.

b) *Henkii* lineamenta fidei Christianae, §. 49. Platonica est daemonum finitio iam a *Minucio Felice* occupata in *Octauio*, c. 26.

c) Conf. *Kant's* Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft, p. 110.

d) Vide *Hesiod.* Op. et D. vers 121 sq. 141 sq. *Chemnitii* orat. *de angelis*, in locc. theolog. I, 321 sq. *Reinhard's* Predigten im Iahr 1797 gehalten. Sulzbach 1798. p. 347 sq. *Auch uns dienen Engel:* Predigten über die letzten Schicksale unseres Herrn von *Dräseke.* Lüneburg 1816. p. 100 ss.

§. 89.

Creatio, natura, numerus et classes angelorum.

De *tempore* et *die creationis* angelorum certant theologi; sunt enim, qui eos cum Origene ante mundum (Hiob. XXXVIII, 6. 7.), sunt qui primo, secundo, quinto [a]), quid quod octauo cosmogeniae Mosaicae die conditos esse doceant [b]),

argumentis idoneis omnes destituti, quia creatio temporis legibus adstricta non est (§. 62.). Neque magis conueniunt in constituenda angelorum *natura*, quam non spiritualem solum, sed etiam corpoream esse libri sacri tradunt (Ies. VI, 1 sq. Matth. XXVIII, 3. Marc. XVI, 5. Act. I, 10. 1 Cor. XIII, 1. XV, 40. 40.), adstipulantibus ecclesiae primae patribus [c]), et e recentioribus *Cudwortho* [d]), renuente tamen *Ioanne* Damasceno [e]), et *Buddeo f*). Nobis sententia prior, a ludibriis imaginationis liberata, longe praeferenda esse videtur; corporis enim notionem qualiscunque a spiritu creato seiungere non valemus [g]); quare Christus ipse, quamuis angelis longe maior (Hebr. I, 4.), coelesti corpore indutus esse dicitur (Phil. I, 21.). In digerendo *numero* angelorum, qui magnus esse perhibetur (Deut. XXXIII, 2. Dan. VII, 10. Matth. XXVI, 53. Apoc. V, 11.), Cherubim (Gen. III, 24. Exod. XXV, 17 sq. Psalm. XXIII, 11.), Seraphim (Ies. II, 2. 6. Apoc. XIV, 6.) et archangelorum (1 Thess. IV, 16.) *classes* distinguunt libri sacri [h]); Iudaei decem [i]), Pseudodionysius Areopagita tres atque nouem ordines et hierarchias [k]) angelorum numerari posse opinati sunt.

a) *Bodenschaz's* kirchliche Verfassung der Iuden, tom. III. p. 158.

b) *Ode* Commentarius de angelis. Traiecti 1739. 4.

c) Origene, Basilio, Augustino. Vid. *Rösler's* Bi-

bliothek der Kirchenväter, tom. X. p. 319. *Gruneri* institut. dogmat. §. 97.

d) System. intellect. c. V. p. 3. §. 16. Ed. Ien. pag. 1028 sq.

e) Expos. orthod. fid. lib. II. c. 3.

f) Instit. theolog, dogmat. p. 395 sq. Creatura omnis corporea est, *angeli* et omnes coelestes virtutes *corporeae*, *licet non carne subsistant*. *Gennadius Massiliensis* de ecclesiast. dogmat. c. XII. Hamburgi 1614. p. 8.

g) *Luther's* Pred. von den Engeln: opp. X, 1250 ss. Θεὸς μόνος ἀσύγκριτος. *Ioan.* Damasc. l. c. *Cudworth* l. c. p. 1101. *Loersius* de angelorum corporibus et natura. Traiecti ad Rhen. 1794. 4. Conf. *Henke's* Magazin für Exegese, t. III. pag. 300 sq. VI, 152 sq.

h) M. bibl. Theologie, tom. I. p. 357 sq. *Hasse's* Entdeckungen, I, 234 sq.

i) *Bodenschaz* l. c. *Eisenmenger's* entdecktes Iudenthum, tom. II. p. 374 sq.

k) *Ioannes* Damascen. l. c. fin. *Ode* p. 709 sq.

§. 90.

De officio et cultu angelorum.

Officium et munus angelorum absolui docent *cum* exsequendis mandatis diuinis in uniuersum (Ies. VI, 2 sq. Matth. XVIII, 10. Hebr. I, 14. Luc. I, 26.) [a]; *tum* poenis impietati hominum infligendis (Gen. XIX, 25. Exod. XII, 12. 29. Ies. XXXVII, 36.); *deinde* tuendis singulis regnis et

prouinciis (Dan. X, 13. 20. 21.); *postea* tutela ecclesiae et piorum (Zachar. III, 7. 1 Cor. XI, 10. 1 Tim. V, 21. Psalm. XXXIV, 8.); *vltimum* protegendis et custodiendis hominibus singulis (Hiob. XXXIII, 23—28. Psalm. XXXIV, 8. XCI, 11 sq. Zach. III, 6. Tob. III, 25. Matth. XVIII, 10. Luc. XXI, 22. Act. XII, 15.) [b]), quibus ceu genii paedagogi adiuncti esse dicuntur, a cunis ad mortem vsque. In hac vero eaque tanta dignitate constituti, erroris tamen neutiquam sunt expertes (Hiob. IV, 18.), multo minus *ἀναμαρτησίᾳ* eminent, nulli creaturae tribuenda; sed Deo et Christo ad dextram numinis exaltato subiecti dicuntur (Ephes. I, 21. Col. I, 16. Phil. II, 9 sq. Hebr. I, 5 sq.); et hanc ob causam neque adoratione et cultu diuino (Ps. CIII, 20 sq. Col. II, 18. Apoc. XIX, 10.), neque inuocatione et patrocinii votis precibusque digni existimantur [c]). Quae praeterea de visione angelorum in speculo numinis diuini comminiscuntur scriptores ecclesiastici [d]), ea scripturae et sanae rationi pariter repugnant.

a) Ἐν οὐρανῷ διατρίβουσι, καὶ ἓν ἔργον ἔχουσιν, ὑμνεῖν τὸν θεὸν καὶ λειτουργεῖν τῷ θείῳ αὐτοῦ θελήματι. *Ioan. Damascen.* l. c. Alia angelorum ministeria figurate satis describit *Chateaubriandus* (les Martyrs. Paris 1809. I, 70. II, 202 ss.); vtitur tamen iure suo in exornanda doctrina, quae poeticis coloribus carere nequit.

b) *Seneca* ep. CX. *Apuleius* de Deo Socratis, ed. Bipont. t. II. p. 238. qui locus princeps est. *Ori-*

genes contra Celsum, l. VIII. p. 400. ed. Spenceri. Cantabrig. 1677. *Lutherus* (Predigt von den Engeln: opp. t. X. p. 1262.): „ein Kaiser, König und Fürst ist viel zu schwach und gering in seinem Amte, *wo ein Ieder nicht einen Engel über ihm hat, so ihm hilft.*“ *Buddei* institut. dogmat. p. 406 sq. *Hirt* de angelo tutelari. Viteb. 1779.

c) Concil. Laodic. canon. XXXV. *Articuli Smalcaldici*, de inuocatione sanctorum, pag. 223 sq. *Cde*, p. 900 sq. In longe alia abit *Catechismus Romanus*, p. III. c. 2. §. 9 sq.

d) Locus disertus extat apud *Gregorium* M. (moral. l. XII. c. 13.), e quo sequiores theologi inuocationem sanctorum defendere conati sunt (*August.* Conf. art. XXI. apolog. art. IX.).

§. 91.

Recapitulatio doctrinae critica.

Patebit iam ex vberiori huius disciplinae expositione, biblicam de angelis institutionem non vbique premendam, neque sensu literali in disciplinam theologicam deriuandam esse. Hoc enim, quo minus rite fieri possit, prohibent imagines a regibus humanis ad aulam quasi coelestem translatae (Apocal. IV, 2.) [a]; origo doctrinae simplex, Chaldaicis postea nominibus et incrementis distinctae et amplificatae; euentus naturales e sententia Iudaeis communi ad angelorum commercium et ministerium reuocati [b]; numinis optimi, non interuentu nuntiorum, sed voluntatis suae vi supre-

ma gubernantis omnia, dignitas; et superstitio perniciosa ab angelorum et geniorum inprimis tutelarium fide aegerrime secludenda (Hebr. XIII, 2.). Quare Iesum ipsum interdum de angelis figurate loqui (Ioh. I, 51. Matth. XXVI, 53.) iure contendimus. Summa igitur articuli haec est: *prouidentiae diuinae auxilia hac doctrina quasi oculis subiici mortalibus; verum autem cum angelis, qui regionum coelestium limitibus detinentur, commercium post fata demum a nobis sperandum esse* (Luc. XX, 36.) [c]).

a) Vide *Eichhornii* commentarium in apocalypsin Iohannis. Gottingae 1791. Vol. I. p. 132 s.

b) Confer locum Act. XII, 23 sq. cum *Iosephi* Antiquit. Iudaic. lib. XIX. c. 8. §. 2. et *Eichhornii* commentationem egregiam: *von den Engelserscheinungen in der Apostelgeschichte.* Bibliothek der biblischen Literatur, tom. III. p. 381 sq.

c) In hanc sententiam iam procliuem videmus *Iustinum* M. a. *Münschero* notatum (Dogmengesch. t. II. p. 8.). Cfrtr. *Semleri* institutio ad doctrinam christ. ed. 3. p. 87. *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von Iunge, tom. VII. p. 140 sq. *Keilii* opusc. theologica ed. *Goldhorn.* Lips. 1821. p. 531 ss.

§. 92.

b) *De daemonibus doctrina biblica et ecclesiastica. Notio et existentia diaboli.*

Angeli mali (2 Petr. II, 4.) *notionem* ita constituunt libri sacri, vt eum seductorem (Gen. III, 1. Ioh. VIII, 44.) et aduersarium hominum, ad forum coeleste olim admissum (Hiob. I, 6. Zach. III, 1—6.), deinde mali physici (Hiob. II, 7. 1 Sam. XVI, 14. Matth. XII, 43.) et moralis (1 Chr. XXI, 1 coll. 2 Sam. XXIV, 1. Matth. XIII, 25. Ephes. VI, 12 sq.) auctorem, regni daemonici praesulem (Matth. XII, 24 sq.), Deo, filio eius, bonisque hominibus in cunctis oppositum et inimicum esse (Matth. XIII, 39. Ioh. XIII, 2. 1 Petr. V, 8.) doceant [a]). Huic angelo tribuunt scientiam magnam, sed erroribus obuolutam (Act. XVI, 17. XIX, 15. Iacob. II, 19.); voluntatem pessimam (Ephes. VI, 11 sq.); potentiam humana superiorem, sed virtute Dei ligatam (Ioh. XII, 31. 2 Petr. II, 4.) [b]). Talem autem tamque exsecrandum spiritum non in hominum imaginatione, sed reuera *existere*, probant testimoniis librorum sacrorum disertis (Ioh. VIII, 44. Matth. XXV, 41. 2 Tim. II, 26.); occupatione energumenorum, qua Christi et apostolorum potestate deturbatus est (Matth. VIII, 27 sq. XII, 22 sq. Act. VIII, 7. XVI, 16 sq.); tristissimisque, quibus se manifestare pergit, in corpora et animos hominum, effectibus [c]). His argumentis persuasi sententiam eorum reiecerunt

doctores ecclesiastici [d]), qui regnum diabolicum non, nisi in morali hominum peruersitate quaerendum esse contenderunt (Act. XXIII, 8.) [e]).

a) *Ilgeni* natura Iobi carminis antiquissimi. Lips. 1789. p. 125 sq. *Hasse's* Entdeckungen, I, 233. not. Inprimis conferendae sunt commentationes binae *de daemonologia in sacris N. T. libris proposita* auctore *I. F. Winzer.* Vitebergae 1812 s.

b) *Ioannes* Damascenus, lib. II. c. 4. de diabolo et daemonibus.

c) Corpora hominum agitari posse vi diabolica, non patribus solum ecclesiae, sed ipsi *Luthero* persuasum erat. *Summa, es sind böse Engel: kann auch nicht daran zweifeln, daſs Pestilenz, Fieber und andere schwere Seuchen, oder Krankheiten der Teufel Werk und Geschäfte sind, welche auch Ungewitter und Sturmwind auf dem Land und Meer erregen, mit Feuer aus der Luft Städte und Wälder anzünden, machen auch, daſs beide, Getraide und Früchte auf dem Felde verderben.* Opp. X, 1791. Eandem superstitionem iam *Minucius Felix* aluerat (c. 27.).

d) Vide post Calouium, Quenstedtium et Baierum adhuc *Seilerum* in theolog. dogmatica. Erlang. 1789. ed. 3. p. 191 sq. et *Storrium* in doctrinae christianae parte theoretica. Stuttgard 1793. pag. 158 sq.

e) Post Aristotelicos nimirum *Hobbes* (Leuiathan, c. 8.), *Cartesius*, *Bekker* (betoverde Wereld. Leewarden 1690 sq. 8.), *Thomasius* et alii. Vid. *Walch's* Geschichte der Religions-Streitigkeiten *auſser* der Lutherischen Kirche, tom. III. pag. 930 sq. *Mayeri* historia diaboli, ed. 2. Tubing.

1780. *Meiner's* allgem. kritische Geschichte aller Religionen, I, 398 sq.

§. 93.

De origine, lapsu, domicilio et sorte diaboli.

Neque tamen diabolum cum Mane [a]) *originis* expertem, sed a Deo cum reliquis angelis bonis creatum (Ioh. VIII, 44. 2 Petr. II, 4. Iud. 6.), postea arrogantia, rebellione, siue voluptatibus inquinatum, *lapsum* et de sedibus aethereis a numine praecipitem datum esse (Luc. X, 18.) docent [b]). *Habitat* enim in aëre (Ephes. II, 2. VI, 12.), in locis desertis (Matth. XII, 43.), in orco (2 Petr. II, 4.), ita tamen, vt forma indutus qualicunque (2 Cor. XI, 14.) [c]), in terram interdum escendat, mundi imperium adfectet (Ioh. XVI, 30. Ephes. II, 2.), regno Christi ad tempus aduersetur (1 Ioh. II, 18. Apoc. XX, 7.), et homines identidem ad malum pelliciat (1 Cor. V, 5. VII, 5. 2 Thess. II, 9.) [d]). Has autem illecebras pietate et precibus tanto magis superare debent (1 Cor. VII, 5. Iacob. IV, 7. 1 Ioh. II, 13 sq. 1 Petr. V, 8.) [e]), quanto arctioribus olim limitibus circumscribetur regnum Satanae, quem die iudicii reprobatio sempiterna flammaeque aeternum voraces exspectant (Matth. XXV, 41. Apoc. XX, 10.). Christus enim, qui diabolum esse nunquam negauerat, vim eius tamen atque potestatem doctrina et factis plane deprimit atque tollit (Luc. X, 18. Ioh. XII, 31.) [f]).

a) *Epiphanius* haeres. 46. vel 66. tot. *Mosheim* de rebus Christianorum ante Constantinum M. pag. 788 sq.

b) *Cyprianus* aduers. Marcionem, c. 10. *Augustinus* de vera religione, c. 13. *Lactant.* institut. lib. II. c. 14. *Gerhardi* loc. tom. IV, 32 sq. *Meiners* l. c. I, 405 sq. Neque alienum erit, in re poëtica excitare *Miltonum*, paradise lost, Book VI. tot.

c) *Μετασχηματίζονται οἱ δαίμονες εἰς οἷον θέλουσι σχῆμα κατὰ φαντασίαν.* *Ioannes* Damascen. l. c.

d) *Michaelis Pselli* de operatione daemonum dialogus. Kilenii 1688. p. 73 ss.

e) *Mori* epitome theolog. christ. ed. 3. p. 92. fin. *Storr's* Dogmatik, herausgeg. von *Flatt.* Stuttgardt 1803. p. 408 sq. *Augusti's* Dogmatik, §. 159.

f) *Sartorius* drei Abhandlungen über drei wichtige Gegenstände der Theologie. Gött. 1820. p. 142.

§. 94.

Censura huius doctrinae.

Argumentis in utramque partem subductis patebit facile, hoc loco frustra quidem prouocari ad *spectra*, quae Φαντάσματα sunt (Matth. XIV, 26.); vel ἐνεργουμένους *nostrae aetatis*, quamuis interdum fastu et malitia turgeant [a]); ad *consensum gentium*, qui interdum pessimae superstitioni patrocinatur [b]); ad *rationis sanae*, quae diabolum, tanquam Cerberum in aedibus boni patrisfamilias auersatur, *adsensum qualemcunque;* et ad *mali*

utriusque originem e causis longe aliis repetendam (Iacob. I, 14.). Praeterea sexcentis N. T. locis efficitur, doctrinam de daemonibus in libris sacris *conuenienter aetatis scriptorum ingenio* proponi (Matth. IV, 24. VIII, 31. XII, 24 s. 43 s. Luc. X, 18. Ephes. VI, 12.). Neque procliue est ad intelligendum, quomodo Satanas, si omnes mortales ad peccandum sollicitare cuperet, diuinis *summae scientiae* atque *potentiae* virtutibus carere, et, natura pessimus, perniciem atque *interitum euitare* posset [c]). Quare multis placuit de Satana et cum maxime placet vetus Augusti sententia: tandem aliquando et *hic Aiax in spongiam incubuit* [d]).

a) *Heinroth's* Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens. Leipzig 1818. Th. I. p. 378 s.

b) *Cicero* de natura Deorum, l. I. c. 23.

c) *Quanto magis quodque corrumpitur, tanto magis ad interitum tendit.* Augustin. contra epistolam Manichaei, c. 40. Adde *Süskind's* Magazin für christliche Dogmatik und Moral. St. XII. Tübingen 1812. p. 37.

d) Apud *Suetonium* in *Octauio*, cap. 85. Confer. post *Semleri*, *Henkii*, *Eckermanni*, *Niemeyeri* aliorumque scripta: *Schmid* über christliche Religion, ihre Beschaffenheit und zweckmäſsige Behandlung, p. 330 sq. in. biblische Theologie, t. I. p. 367. *Reinhard's* Dogmatik, von Berger. Ed. 2. Norimb. 1806. p. 210 sq. *Wegscheideri* institutt. theol. dogmat. §. 106.

§. 95.

Continuata.

Vicissim recte monetur, parum constare sibi diaboli *aduersarios*, qui, dum albis dentibus eum *irrident*, in rebus seriis tamen perpetuo ad eum *prouocant;* superbum Dei contemtum *progenuisse peccatum* apud *angelos* (2 Petr. II, 4.), quemadmodum apud homines; apud utrosque hanc esse summae prauitatis et *malitiae naturam*, ut *resipiscere nolint* atque nequeant (Matth. XII, 31. Rom. II, 5. Hebr. VI, 5.); *facinorosorum* itaque *hominum daemonumque* unam eandemque esse *rempublicam* (Matth. XXV, 41.), idem peccati *initium* eundemque *exitum*. Mirari itaque haud subit, Iesum etiam *extra parabolas* diaboli mentionem iniicere (Matth. XIII, 39. Ioh. VIII, 44.); *discrimen* enim *peccati* (Ies. V, 20.) eiusque finis tristissimus (Marc. IX, 48.) hac prosopopoeia (Matth. XII, 25 s.) clarissima in luce ponitur; neque victoriae locus foret in regno Dei sine *perpetua* hic terrarum cum *cacodaemone*, vel malo Genio *conflictatione* (Eph. II, 2. VI, 12.). Non est itaque, quod *cupide negemus existentiam diaboli*, in cuius castris omni aetate bene multi militant (1 Ioh. III, 8.), qui tesseram eius confregisse sibi videntur.

§. 96.

III. Doctrina de hominibus primum creatis et domicilio eorum biblica.

Neque tamen mundum ab angelis solum, sed hunc inprimis planetam nostrum ab *hominibus* habitari voluit numen optimum. Creauit itaque generis nostri parentes, siue vno actu (Gen. I, 27), siue successione quadam, videlicet primo marem e terra formatum (Gen. I, 26. II, 7 sq.), deinde feminam e costa eius decerptam (Gen. II, 21, 1 Cor. XI, 8); vtrique domicilium in regione amoena et fertili adsignauit (Gen. II, 8 sq.)[a]) et ab hoc stipite communi vniuersum genus humanum originem suam deriuare voluit (Gen. I, 28 sq. Tob. VIII, 8. Act. XVII, 26. 1 Tim. II, 13 [b]). Negari vix potest, haec Mosaica generis humani primordia in varias nos inducere difficultates, *cum* propter similem aliarum gentium anthropogoniam mythicam[c]); *tum* propter turbatas et incertas rationes temporum in omni historia antiqua[d]). *Accedunt* hariolationes interpretum de domicilio hominum primaeuo [e]), et historicorum lites de deductione coloniarum in partes terrae australes et occidentales[f]); quibus varietatem generis humani natiuam, tanquam nouum adhuc disserendi fomitem, addiderunt[g]). His itaque argumentis ducti hominem primaeuum non e terra, sed limo, vel potius pituita marina ortum esse volunt [h]). Neque tamen desunt argumenta, quibus hisce dubi-

tationibus occurri queat, quamuis omnia plane ad liquidum constituere rationibus multis prohibeamur [i]), e latissima inprimis hominum, animalium et plantarum in diuersis terrae regionibus propagine deriuatis, cui singula paria primaeua sufficere non potuisse multis probabile videtur [k]).

a) Euphrates, Tigris, Phasis atque Oxus fluuii omnes ex Armeniae montibus decurrunt. Vide *Vateri* commentar. ad h. l.

b) Non tamen *animas ipsas*, quarum serendarum ratio Deo soli subiacet (*Iacobi* von den göttlichen Dingen, pag. 220.). Certauerunt olim theologi, vtrum animae *ante* corporis *formationem* existant (προϋπαρξις); an per *traducem* propagentur; siue in ipso conceptionis momento a numine *creentur?* Primam atque vltimam sententiam praeiuerat *Plato*, qui animam neque genitam, neque interituram esse, sed motus tantum proportionem, hoc est sui conscientiam (τὸ ἁρμονικὸν τῆς κινήσεως ἐξ ἀναρμοστίας) a Deo accepisse statuit (*Plutarchus* de animae procreatione opp. X, 210 s. Reisk.). Adde *Lactantium* de opificio Dei, c. 17—19., qui locus princeps est. Per traducem autem, hoc est a parentibus propagari animas, primum Rabbinis, deinde etiam patribus ecclesiae placuit, vt Pelagianismi notam effugerent. Vide *Augustinum* de libero arbitrio, lib. III. c. 21 sq. *de anima et eius origine* tot. *Gerhardum* loc. theol. IV, 278 sq. *Calouium* III, 1081 ss. *Thomasium* in tractatione physica de origine animae humanae. Halae 1725. *Leibnitium* theodic. §. 86 ss. *Gruneri* institut. theolog. dogmat. p. 184 sq. *Eisenmenger's* entdecktes Iudenthum, tom. I. p. 472 sq.

Leſs praktische Dogmatik, §. 86. *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Iunge*, t. VIII. p. 71 sq. Euanescunt difficultates omnes, si creationis notionem (§. 85 s.) recte perspexeris.

c) *Diodor.* Sicul. lib. I. c. 7. II, 38. de India, primorum hominum patria. *Plato* in Timaeo ed. Bipont. Vol. IV. pag. 332 sq. Sympos. Vol. X. p. 201 sq. *Eusebius* praepar. euang. XII, 11. quo loco longam paradisi comparationem cum horto Iouis secundum Platonem instituit. *Lucianus* in Prometheo, §. 3 ss. opp. I, 139 ss. ed. Bip. *Lucret.* de rerum natura, lib. II. p. 332 sq. *Ouid.* metamorphos. lib. I. v. 761. *Reimarus* Abhandlungen über die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion, ed. VI. p. 23 ss. *Kanne's* erste Urkunden der Geschichte. Baireuth 1808. I, 346 sq. Sententiam ceterum satis breuem hac de re protulit Iulianus imperator: ταῦτα μυθώδη παντελῶς: apud *Cyrillum* Alex. contra Iulian. l. III. init.

d) *Buddei* theses de atheismo, p. 442 sq. *Harduini* chronologia V. T. ad vulgatam versionem exacta et nummis antiquis subinde illustratata, in opp. selectis. Amstelod. 1709. p. 513 ss. *I. G. Frankii* nouum systema chronologiae fundamentalis cum praef. Gattereri. Gottingae 1778. pag. 147 ss. *Gatterer's* Versuch einer allgemeinen Weltgeschichte. Götting. 1792. p. 2. *Schlözer's* Weltgeschichte, tom. I. pag. 82. *Stolberg's* Geschichte der Religion Iesu Christi, t. I. p. 345 sq. *Fundgruben des Orients.* Wien 1809. I, 428. de chronologia Chinensium.

e) M. biblische Theologie, tom. I. p. 293 sq.

N 2

f) *Isaac Peyrère* Praeadamitae, vel exercitatio exegetica in Rom. V, 12 sq. 1655. in 4. et auctores Peyrerio priores a *Calouio* excitati system. theol. t. III. p. 1041. *Grotii* dissertationes de origine gentium Americanarum. Amstelodami 1642 sq. *Cellarii* notitia orbis antiqui, III, 251 ss *Steller's* Beschreibung von Kamtschatka. Francof. 1774. p. 251 sq. *Meiner's* und *Spittler's* historisches Magazin, tom. III. p. 193 sq. *La Peyrouse* voyage autour du monde. Paris 1798. in 8. t. III. p. 277 sq. *Cook's* erste Reise um die Welt, in der Geschichte der Seereisen. Berlin b. Spener 1774. in 4. B. III. p. 390 sq. *Adelung's* Mithridates, I, 629.

g) *Blumenbach* de varietate generis humani natiua. Gottingae 1795. ed. 3. p. 305 sq. *Girtanner* über das kantische Princip der Naturgeschichte, pag. 57 sq.

h) „Der Mensch entsteht als Embryo mit menschlicher Zeichnung *aus dem Schlamm im Meere.*“ *Oken* über die Entstehung des ersten Menschen. *Isis*, Iahrg. 1819. B. II. p. 1118.

i) Vid. auctores nota e. et f. excitatos. *Kant's* physische Geographie. Königsb. 1802. t. II. p. 1 sq. *Herder's* Ideen, edit. min. t. II, 85 sq. 355 sq. 405 sq. *Trismegistus* Beweis, daſs die Erde drei- und mehrmal älter ist, als man gewöhnlich annimmt. Leipzig 1803. *Autenrieth* über die Menschenraçen, in *Voigt's* Magazin für die Naturkunde, B. V. St. 5. 1803. p. 420 sq.

k) Confer librum *Meinersii* posthumum: *Untersuchungen über die Verschiedenheiten der Menschennaturen.* Tübingen 1811. praef. XIV sq. 39 ss. 296 ss., quo traditionem Mosaicam plane euerti

putauit. More suo tamen magis collegit, quae nouis indagationibus viam sternere, quam omnem controuersiam dirimere queant. Veteres certe naturae scrutatores dudum intellexerunt, legem, qua omnia ex ouo procreantur, aliunde demum originem ducere: *natura*, docet *Macrobius* (Saturnal. VII, 16.), *primum singula animalia perfecta formauit*, *deinde legem perpetuam dedit*, *vt continuaretur procreatione successio*. Haec autem naturae *generatio*, quam philosophi esse volunt *spontaneam* (*Reimarus* Abhandlungen, ed. VI. p. 108. not.), creatio adpellatur a theologis, qui, vt omnes, ita vires etiam naturae genitrices non nisi a Deo repetere debent (Act. XVII, 25.).

§. 97.

Doctrina biblica et ecclesiastica de imagine diuina.

Hos autem humani generis parentes ad imaginem Dei creatos esse docent libri sacri (Gen. I, 26.), os hominis sublime, erectos vultus (Exod. XXXIII, 20. 1 Cor. XI, 7. 2 Cor. IV, 18.) [a]) et imperium in res creatas (Gen. I, 26. Psalm. VIII, 7—9.) hac voce designantes. Hanc numinis imaginem etiamnum possidere et tueri mortales dubitatione caret (Gen. V, 1—3. Psalm. VIII, 6. Iac. III, 9.). Post reditum vero e captiuitate Babylonica, discrimine inter Adamum primum et secundum facto (1. Cor. XV, 47.) [b]), imagini numinis primae etiam corporis immortalitatem (Gen. II, 17.

Sap. II, 23.) mentemque iustam et sanctam (Col. III, 10. Eph. IV, 22—24.) insitam fuisse volunt auctores sacri [c]). Quapropter in ecclesia docuerunt: *imaginem diuinam*, vel *conformitatem cum numine protoplastis concreatam quidem, non tamen perfectionem animi essentialem* [d]) *fuisse, sed accidentalem. Partes huius imaginis principes exstitisse scientiam Dei concreatam, sanctitatem voluntatis eximiam, appetitus sensitiui puritatem; minus principes autem immunitatem a calamitatibus vitae* (Gen. III, 16. Sir. XXXVIII, 15.), *corporis immortalitatem* (Gen. II, 17. Rom. V, 18.) [e]), *et imperium in res creatas. Plurimas huius imaginis partes post lapsum perditas ideoque fide et virtute renouandas esse* (Ephes. IV, 24. Col. III, 10.) [f]).

a) *Plato* in Timaeo (p. 332.) caput membrum adpellat θειότατον καὶ τῶν πάντων ἐν ἡμῖν δεσποτοῦν. *Ouidio* (metam. I, 82.) effigies Deorum fuere erecti ad sidera vultus. *Cicero* de nat. D. I, 27. „quid igitur mirum, si hoc eodem modo natura homini praescripsit, vt nihil pulchrius, quam hominem, putaret, eam esse, causam, *cur deos hominum similes putaremus?*" Sed ante omnia conferendus est *Lactantius* de opific. Dei, c. 8. et de ira diuina, c. 2 et 7.

b) Vide, quae obseruauimus in *nouis opusculis theolog.* Gottingae 1803. in commentatione de *vestigiis theologiae Iudaicae in epistola Pauli ad Romanos.*

c) M. biblische Theologie, tom. I. p. 285 sq. *Tel-*

ler's älteste Theodicee, oder Erklärung der drei ersten Kapitel der Genesis. Iena 1803.

d) Contra *Flacianos:* vid. LL. SS. p. 639. *Gerhardi* loc. th. IV, 267 sq. *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. IV. pag. 600 sq. B. V. Th. I. p. 349 sq.

e) *Michaelis* Gedanken von der Sünde und Genugthuung, 2te Ausg. Götting. 1779. p. 420—444.

f) *Ioannes Damascenus*, lib. II. c. 12. *Apologia confessionis* de peccato originali, p. 153 sq. *Gerhardi* loc. IV, 237 sq. *Calou.* system. tom. IV. pag. 469 sq.

§. 98.

Epicrisis sententiarum.

Qua quidem in doctrina quamuis clarum sit hoc, homines primaeuos ab erroris et peccati labe puros terram nostram ingressos esse, nonnulla tamen magna obscuritate et ambiguitate laborare videntur. Scientia enim Dei vitaeque sanctitas *concreata* non solum sibi repugnare videtur, sed humanae etiam naturae conditio, qua doloribus ipsique adeo morti exposita est (2 Cor. IV, 18.), inter beneficia magis, quam poenas a prouidentia hominibus inflictas, referri debet [a]). Rectius itaque contendimus, imaginem diuinam in indole hominum primaeuorum rationali, libera eorum cogitandi, volendi, et ad verum bonumque progrediendi facultate, immortalitatis fonte, sitam fuisse. Haec autem indoles, quemadmodum reliquae fa-

cultates sentiendi, loquendi (Gen. II, 19.) [b]), viresque vitales et technicae, experiundo, cogitando, iudicando, audendo, abstinendoque excoli et ad perfectionem euehi debebat. Errando enim aeque ac peccando ad veritatem et virtutem mortales, non peruenire debent (Rom. III, 8.), sed perueniunt [c]). Discrimen igitur statuendum est imaginis Dei, quae in hominibus primaeuis resplenduit, *formalis* et *materialis*, re ipsa iam a *Melanchthone* positum [d]).

a) Vide, quae post *Vitringam* egregie hac de re disseruit *Iunge* in libro: *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, tom. VIII. p. 40 sq.

b) *Diodor. Sicul.* I, 8. *Ierusalem's* Betrachtungen, tom. II. pag. 108 sq. *Rousseau* sur l'origine des langues, ch. 2. (oeuvres ed. de Deuxponts, t. XVI. p. 160 sq.). *Herder's* Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, tom. I. p. 227 sq.

c) Dum virtus hominum per consilium naturae gignitur, vitia itidem *per adfinitatem contrariam* nata sunt. *Chrysippus* apud *Gellium* N. A. L. VI. c. 1. *Schelling's* philosophische Schriften. Landshut 1809. I, 488 ss.

d) In *apolog.* A. C. art. 1. de peccato originis. „Quid hoc est aliud, nisi in homine sapientiam et iustitiam effigiatam esse, quae Deum *apprehenderet?*" Ponit igitur Philippus hoc verbo iconem Dei non materialem, qualis vita est, sed formalem, quae in nuda *facultate* mentis quaerenda erat.

§. 99.

Doctrina biblica et ecclesiastica de origine peccati.

Homines primaeui saltem, praeeuntibus libris sacris, eo primam diuinae imagini adspersere labem, vt praeceptum numinis de vitando arboris vetitae eiusque pestilentis fructu migrarent, et, calamitatibus licet multis ipsoque mortis timore correpti, peccandi tamen habitum contraherent (Gen. II, 17 sq. III. tot. conf. Matth. XIII, 24. Ioh. VIII, 44.). Contendunt nimirum doctores ecclesiastici, *causam peccati tum in auersione protoplastorum a deo, tum in Satanae seductione* (Gen. III, 1. Sap. II, 24. 2 Cor. XI, 3.) *quaerendam esse; homines primaeuos propter hoc peccatum imagine diuina priuatos pudoris, timoris* (Gen. III, 7 sq.), *laborum, dolorum et mortis corporis animique poenas* (ib. vers. 16. Rom. V. 12. 18. 19.) *meruisse; idemque peccatum Adamiticum etiam posteris ratione culpae* (Rom. V, 19.) *et poenae* (18.) *imputari.*

Augustan. confess. art. XIX, de causa peccati. *Melanchthon* loc. theolog. de causa peccati et de contingentia, p. 340 sq. *Prudentii* hamartigenia, v. 553 sq. *Chemnitii* loci theol. I, 544 sq. *Gerhardi* loci IV. p. 293 sq. *Calou.* system. II, 344 sq. *Hermanni Witsii* oeconomia foederis Dei cum hominibus, lib. I. c. 2. *Seiler* vom Versöhnungstode, tom. II. pag. 153 sq. *Reinhard's* Dogmatik, §. 77.

§. 100.

Epicrisis doctrinae.

Negari nequit, hanc narrationem Mosaicam simplicitate sua longe superare alias traditiones, quibus orbis antiqui vates originem mali explicare conati sunt [a]). Ambigimus tamen vel in hac adumbratione de arbore vitae et discriminis boni malique; de legis diuinae (Gen. II, 17. coll. III, 22.) ratione idonea; de serpente callide verba miscente poenaque diuina correpto; quae omnia ab historico dicendi genere aliena sunt [b]). Deinde cogita, labores, dolores partus ipsamque mortem, nisi peccati conscientia antecesserit, non inter poenas, sed mala necessaria referenda esse [c]); imaginem diuinam non vno peccato, sed scelere tantum continuo amitti potuisse; lapsum Adamiticum autem ad posteros non spectare, quia meritum et culpa in ordine rerum morali personae limites haud excedunt [d]). Adquiescimus itaque in hac sententia: homines primaeuos, dum contra legem diuinam cupiditati obtemperauerunt, initium fecisse peccandi; peccatum breui interuallo mala externa et interna poenae loco secuta esse; numinis sanctitatem autem, quamuis abhorreat a peccato, aberrationem a lege tamen propterea praeuenire noluisse, ne intercepta hominis libertate ipsam virtutem praemio suo priuaret [e]).

a) *Zendauesta* im Kleinen von *Kleuker*, tom. II. p.

113 sq. *Beausobre* histoire du Manichéisme, t. II, 457. *Hesiodi* opp. et dies, v. 59 sq. *Buddeus* de origine mali, in miscellan. sacris III, 171 ss. *Pallas* Reisen durch Rufsland (Fall des Lama) tom. I. p. 536.

b) *Maimonides* Mor. Nev. I, 2. *Gabler's* Urgeschichte, tom. II. introd. M. biblische Theologie, tom. I. p. 292 sq. *Hasse's* Entdeckungen, I, 225 sq. Iam *Augustinus* monuerat, argumentum tertii geneseos capitis esse *figuratum et aenigmaticum, et sine blasphemia vix secundum literam explicari posse.* Vide de genesi contra Manichaeos, lib. II. c. 1 et 2. Paulo ante *Iulianus* monuerat, narrationem Mosaicam de serpente a fabulis Graecorum haud differre (*Cyrillus* contra Iulianum, ed. *Spanheim.* Lips. 1696. l. III. p. 80.).

c) *Hesiodi* op. et dies, v. 116. θνῆσκον δ᾽ ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι; neque enim homines, licet peccato nondum infectos, immortales fingere voluit poeta. *Augusti* de audiendis in theologia poetis dissertatio secunda. Vratislav. 1815. p. 21 ss.

d) *Reinhard's* Dogmatik, 2te Ausg. Nürnb. 1806. p. 288 sq.

e) Nisi prius malum cognouerimus, nec bonum poterimus agnoscere. *Lactant.* de ira diu. c. 13. Conferantur Stoicorum de origine mali philosophumena apud *Gellium* N. A. lib. VI, 1. *Meiners* historia doctrinae de vno vero Deo, pag. 490 sq. *Chateaubriand* les martyrs. Paris 1809. I, 259.

§. 101.

Vera primi peccati indoles.

Summa igitur parabolae de utraque paradisi arbore redire videtur ad legem vitae mortisque cunctis mortalibus propositam (Deut. XXX, 19.). Primi autem homines, quum ab indito pietatis instinctu processissent, dubitando ad propriam cognitionem discriminis inter bonum malumque (Gen. III, 22.), in peccatum prolapsi sunt. *Duplici enim humanae naturae lege in contraria scissi* (Rom VII, 22 s. Gal. V, 17. Iac. III, 13.) *cupiditatis normam libero iudicio superiorem esse voluerunt lege diuina, atque hac culpa utriusque mali, moralis atque naturalis, fomitem susceperunt* [a]). Quare paradiso expulsi sibique relicti sunt, ut in calamitatis schola (Gen. III, 14 s.) sapere discerent, quod in beato Dei consortio discere noluerunt. Patet igitur, primos homines delicto suo *desciuisse* a iustitia ingenita, hanc autem culpam non omittendo, sed *committendo* contractam, quamuis coram Deo mera sit perfectionis priuatio, hominibus tamen veri (positiui) mali causam et originem fuisse [b]).

a) Vide omnino *Heinrothii* librum: Der Schlüssel zu Himmel und Hölle im Menschen, oder über moralische Kraft und Passivität. Leipzig 1829. p. 272 ss.

b) Incidimus hic in bigam quaestionum perdifficilium de *naturà* peccati eiusque *causa*. *Primam*

ita expediuit *Gennadius Massiliensis* (de dogmatibus ecclesiasticis, c. 60.), ut omne *malum neque naturam veram, neque contrariam boni substantiam*, sed *discessionem a summo bono esse* statuerit, *quia Deus naturam rerum et substantiam condidisset.* Haec sententia confirmatur in *formula concordiae* (art. 1. de peccato originali, p. 644 ss. ed. Rechenberg.) aduersus *Flacium* atque ipsum *Lutherum* (p. 653.), qui interdum haud sine exaggeratione de peccato originis locutus erat. Neque negari potest defectus boni in malis nonnullis, tum naturalibus (nausea, tepor), tum ethicis (desidia, indifferentia erga Deum et homines). Vicissim multa reperiuntur mala, non e defectu, sed excessu orta, verbi causa, dolor, frigus, fames, cruciatus, deinde ἀντοχειρία, adulterium, homicidium, quae non tam decrementum boni, sed verum mali atque prauitatis incrementum innuere videntur. Tamen *Gennadii* veterumque de indole mali sententia ubique tuenda est. Malum enim, si natura esset, nullo modo sanari, minui atque tolli posset, quia substantiae nunquam mutantur. Hoc ne Manichaeis quidem placebit. Deinde verum quidem est, mala fortiora (sthenica) tum in sensu, tum in mente hominis induere sibi faciem naturae efficacis (theticae), puto morsus conscientiae, vel cruciatus podagrae. Causa autem huius affectionis non quaerenda est in substantia mali, quae nulla est, sed in absentia boni, qua per gradus imperfectio oritur repente in contrariam abitura. Tepor puto gignit frigus, summum autem frigus urit; nausea et inedia gignit febriculam, quae e frigidissima subinde abit in calidissimam; pari modo in ethicis ἀπάθεια per gradus mutatur in frigus-

culum, inimicitiam, odium, iniuriam adque homicidium. Ita enim comparata est natura humana, ut defectus boni naturalis atque moralis, qui adhuc ferri et excusari potest, desinat in excessum huius decrementi, quo in physicis dolores subinde intolerabiles, in ethicis summa facinora procreantur. Maximum igitur scelus, quod ad *materiem* actionis attinet, semper est discessio a summo bono, ita tamen, ut *forma* huius prauitatis in voluntate thetica sit cum poenitentia inde oriunda. Recte igitur respondit *Augustana Confessio* ad *alteram* quaestionem: „causa peccati est *voluntas malorum*, quae non iuuante Deo auertit se a Deo (art. XIX.)." Fuere quidem viri acutissimi, qui nodum huncce gladio soluerent hac sententia: dafs, *inwiefern* die Sünde nicht kann in dem göttlichen Willen gegründet sein, *insofern sie auch für Gott überhaupt nicht sei.* (*Schleiermacher's* christl. Glaube. Berl. 1822. B. II. p. 213 ss.). Quamuis autem facile concedamus, Deum peccatis hominum laedi non posse (Hiob XXXV, 6 s.), nullo modo tamen a nobis impetrare possumus, ut exi-tentiam peccati, quae nobis insidet (Rom. VII, 14.), coram Deo et hominibus Luc. XV, 18.) in dubium vocemus. Veremur potius, ne hoc iudicio omnis de redemtione hominis corrupti peccatorumque poenis diuinis doctrina ad nihilum recidat. Quaerimus itaque ultimam peccati causam tum in malo metaphysico, tum in natura liberi arbitrii ab erroris et delicti periculo ne diuina quidem vi et potestate separranda. Reliqua in articulo de prouidentia pertractabimus.

§. 102.

Doctrina biblica et ecclesiastica de infirmitate hominum morali.

Neque tamen homines primaeuos tantum, sed posteros etiam eorum omnes imbecillitate simili infectos et ad malum procliues esse docent libri sacri (Gen. VIII, 21. Hiob. IV, 17 sq. Prov. XX, 9. Eccles. VII, 21. Psalm. XIV, 1—3. Matth. XV, 19. Ioh. III, 6.), adeo, vt vi peccati vel inuiti abripiantur (Rom. III, 23 sq. VII, 15—19. Gal. V, 17.) temereque sibi innocentiae persuasionem induant (1 Ioh. I, 8.) [a]). *Carentiam iustitiae originalis* adpellant doctores esclesiastici, *qua sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, cum concupiscentia, quae vere peccatum est, nati, et libertate spirituali destituti verum timorem, amorem et fiduciam erga Deum progignere nequeunt, et nunc quoque aeternam mortem merentur, nisi per baptismum et spiritum sanctum renascantur, quo reatus peccati originalis tollitur, quamuis materiale peccati, videlicet concupiscentia, vel in emendatis adhuc remaneat* [b]).

a) M. *biblische Theologie*, t. I. p. 320.

b) *August. confess.* art. II. et XVIII. *Apolog. confess.* art. I. tot. *Artic. Smalcaldici*, p. 317 sq. *Melanchthon* de peccato originis in locc. theolog. p. 360 sq. *Chemnitii* locc. theol. I, 517 sq. *Gerhardi* loc. IV, 317 sq.

§. 103.

Iudicium de hac doctrina.

Vtut autem facile concesseris, a peccati illecebris neminem non vinci [a]), tamen cauendum est summopere, ne omne huius vitiositatis fundamentum vel in ipsa hominis substantia cum Manichaeis [b]), vel in causis mere externis cum Pelagio quaeratur. Substantia enim hominis, cui internam corruptionem e locis male intellectis affingunt (Rom. VII, 20. Eph. II, 3.), imaginem refert Dei creatoris (Iac. III, 9.); liberum eius arbitrium etiam in spiritualibus testatur vim gratiae vniuersalis (Ephes. IV, 22 ss.) [c]); mera concupiscentia, nisi voluntatis consensus accesserit (Matth. V, 28.), peccatum proprie dictum adpellari nequit [d]); neque ipsa iustitiae originalis carentia reatum poenamque sensus iusta lege admittit [e]). Ab imitatione aliorum autem prauitas hominis adeo non repeti potest cum Pelagio, vt eam potius naturalem esse, latissimum peccati imperium (1 Ioh. I, 8.), procliuitas intellectus ad errorem, voluntatis imbecillitas moralis etiam in bene natis atque educatis conspicua doceat [f]). Suspiceris itaque, peccati veri originem neque in haereditate quadam, neque in sensibus et ratione hominis, sed in oppositione spiritus et carnis naturali (Gal. V, 17.), cogitationum alternatione, imaginationis impotentia et inertia mentis humanae quaerendam esse, ita quidem, ut reliquae causae peccati externae

haud secludantur g). Diuinae saltem prouidentiae sanctitas in societatem huius mali venire nullo modo potest, cum propter arctos limites, quibus peccandi licentiam circumscribit, tum propter naturam hominis finitam, quae a tenui initio morali progrediens non nisi sensim e cupiditatum imperio ad veram spirituum libertatem et virtutem emergere potest (1 Ioh. III, 2.). h).

a) Loca auctorum veterum collegit *Pfanner* in systemate theol. gentilis purioris, c. 9 sq. Conf. *Niemeyer's* Briefe an christliche Religionslehrer, tom. III. p. 105 sq.

b) Quibus adstipulari videtur *Schellingius*, qui post Rabbinos (de יצר הרע in *Schoettgenii* horis hebr. in N.T. I, 1178.) et Plotinum, de pugna rationis (des Grundes) et amoris in Deo multa disserens, *hominem actu aeterno malum* esse statuit. *Der Mensch hat sich von Ewigkeit in der Selbstsucht ergriffen, und Alle, die geboren werden, werden mit dem angebornen finstern Princip des Bösen geboren.* Philosoph. Schriften. Landshut 1809. I. p. 451. Longe aliter *Cicero* docet, nos *natura* studiosissimos appetentissimosque *honestatis* esse (*Tuscul. quaest.* II, 24.). Inter nostrates autem fuere, qui rigidam de peccato originis doctrinam non nisi ex anima sicca et omnis adfectus paterni atque materni experte ortam esse putarent. *Gedanken einer frommen Gräfin.* Von dem Verfasser der Wanderiahre. Quedlinb. 1822. p. 50 s.

c) Arbitrium eligendi bonum *Iustinus* M. (apol. 1.), *Tertullianus* (de exhortat. castit. c. 2.) et ipse *Augustinus* (op. imperf. contra Iulian. I, 94. de

gratia contra Pelag. c. 18.) homini post lapsum superesse fatentur; confer et *Ioannem* Damascenum, lib. II. cap. 17. Nimis intendit arcum *Lutherus* de arbitrio seruo. Vitebergae 1525. quare in alia abit Melanchthon locc. theol. pag. 347 sq.

d) *Apologia conf.* l. e. Vide *Gerhardum* loc. IV, 328 sq. Nolimus itaque damnare, quae *Catechismus Romanus* hac de re praecipit (p. II. de sacr. baptismi, p. 43.): „concupiscentia, si voluntatis consensum, aut negligentiam coniunctam non habet, *a vera peccati natura longe abest.*" Conf. *Pallavicini* histor. concil. Tridentini, l. VII. c. X. §. 1—5. Habemus consentientem *Buddeum* in dissert.: *de anima, sede peccati originalis principali:* miscell. sacr. III, 1105 ss.

e) *Curcellaei* dissert. de peccato originali, §. 9. in opp. theol. Amstelod. 1675. p. 893 s. *Ierusalem's* Betrachtungen, tom. II. p. 488 sq. *Eberhard's* Apologie des Socrates, tom. II. p. 339. *Steinbart's* System der reinen Philosophie des Christenthums. Züllichau 1786. p. 23 sq.

f) *Nemesius* de natura hominis, c. 41. *hominum natura nec bonum, nec malum esse.*

g) *Koenig* de origine mali. Bremae 1704. p. 194 s. *Löffler* über die Fähigkeit oder Unfähigkeit des Menschen zum Guten: *Magazin* für Prediger. 1811. B. VI, 1 ss.

h) Vide §. praet. not. *b*.

§. 104.

Doctrina ecclesiastica de propagatione peccati Adamitici.

Ne autem tanta, quam deplorant doctores, naturae humanae corruptio origine quadam careat, prouocant inde ab Augustino ad nonnulla scripturae sacrae loca (Hiob. XIV, 4. Psalm. LI, 7. Ioh. III, 6. Rom. V, 12. Eph. II, 3. 1 Cor. XV, 21 sq. Hebr. XII, 1.), quibus *peccati Adamitici, quasi leprae spiritualis, contagium natiuitate contrahi et gignendo propagari, probare conantur, infantes adeo recens natos, quid quod etiam τὰ ἔμβρυα* [a]), *nisi Christi beneficio saluentur, morti et damnationi aeternae ceu mancipia vindicaturi* [b]). Aduersarii contra monuerunt [c]), hanc doctrinam, si a Paulinis forte metaphoris (Rom. VII, 13—24.) discesseris, fundamento biblico carere [d]), a dualismo patrum ecclesiae Africanae fontem ducere [e]), materialismum in sinu fouere et naturae humanae dignitatem suam iniuria summa detrahere [f]). Sufficit itaque tenere, peccati proprie sic dicti cuiusuis originem non a temporis legibus, sed a libero hominis decreto repetendam esse [g]); peccati *fomitem* autem, *qui in concupiscentia* (Rom. VII, 7.) *et corporis natura latet, a primis parentibus longa natiuitatis serie recte deriuari* [h]).

a) *Gerhardi* loc. IV, 349.

b) *Wigger's* Darstellung des Augustinismus und Pelaginismus. Berlin 1821. p. 80. s. 132 s.

c) *Socini* praelection. theol. fol. 14.

d) M. biblische Theologie, tom. I. p. 326 sq.

e) *Tertullian.* de anima, c. 41. *Cyprian.* epist. 64. *Augustin.* de natura et gratia, c. 9. opus imperf. contra Iulian. lib. VI. c. 22 sq.

f) *Niemeyer's* populäre und praktische Theologie, ed. 4ta, p. 177 sq. *Henkii* lineamenta fidei christ. ed. 2. §. 84 sq.

g) Quo imitatio alienorum vitiorum non secluditur. Recte enim *Seneca:* „erras, si existimas, nobiscum *nasci* vitia; superuenerunt, ingesta sunt." Ep. 96.

h) Hoc iam Crantor vidit apud *Plutarchum:* φυομένοις ἡμῖν μίγνυταί τις ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα· τὰ γὰρ τοὶ σπέρματα ἐυθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας, ἐξ ἧς ἀφυΐα μὲν ψυχῆς, νόσοι τε καὶ κήδεα καὶ μοῖρα θνητῶν ἐκεῖθεν ἡμῖν ἕρπει. *Consolat. ad Apollon.* t. VI, 396. ed. Reiskii. Disertiorem peccati, quod originis nomine insigniunt, apud veteres descriptionem invenisse non memini. De anima inde ab Adamo per *traducem* propagata multus est *Tertullianus*, qui fallitur, si loca excitata (in paradoxis eius auctore *Pamelio*, p. 50.) de anima *spirituali* intellexeris, recte autem docet, si de anima *nutriente*, *sentiente* atque *concupiscente* cogitaueris (§. 113. not. *a*.). *Fomes* itaque peccati in lucta cupiditatis cum spiritu (Gal. V, 17.) quaerendus propagatur; *culpa* autem, quam itidem ingenerari voluit *Anselmus* (de peccatoor iginali, c. 6.), et *voluntas exlex* (der *Eigenwille*, die Quelle alles Uebels. *Haller's* Briefe über die Offenbarung.

Bern 1772. p. 21.) non propagatur. Hic autem vel propter obscura Adami (Act. XVII, 26.) primordia (§. 95.) acquiescendum erit.

SECTIO II.

DE

GVBERNATIONE MVNDI.

§. 105.

De prouidentia in vniuersum.

Creatio mundi, quae actus numinis aeternus est, comitem habet *prouidentiam*, vel *gubernationem mundi diuinam, consilio creatoris* (§. 66.) *consentaneam* (Sap. Salom. VI, 8. XVII, 2.) [a]). Secludimus autem hac doctrina tum casum fortuitum, quo sine ratione omnia regi [b]), tum caecam necessitatem, qua ordine ineuitabili omnia colligari voluerunt [c]). Operae pretium sit, distinguere in hac doctrina longe grauissima sententias *auctorum sacrorum, doctorum ecclesiae, nostramque tractationem*, qua in naturalis etiam theologiae campum exspatiabimur. Doctrina enim *de finibus mundi*, cum in vniuersum, tum sigillatim ordine suo expositis, totus articulus de prouidentia continetur, cui diserte et digne enarrando nullius hominis vita suffecerit.

a) Πρόνοιά ἐστιν ἐκ θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια. *Ne-*

mesius de natura hominis, c. 43. coll. *Iohann.* Damasc. l. II. c. 29. Neque proprie de Deo dici potest, eum *prouidere*, quod hominis est limitibus temporis circumscripti; numen enim omnia *videt* ab aeterno (Act. XV, 18.). *Calouii* systema, t. II. p. 1148.

b) Conf. Ecclesiast. IX, 11 sq. *Ioseph.* Bell. Iud. lib. II. c. 8. §. ult. *Plin.* H. N. II, 5. Egregie monet *Augustinus:* video, hoc in pessima consuetudine habere homines, vt, vbi dicere deberent, hoc Deus voluit, dicant, hoc fortuna voluit. *Lib. retract.* I. c. I. Vide *Gerhardi* loc. IV, 134 sq. *de casuali et fato.* Oeuvres posthumes de Fréderic II. t. VII. Berlin 1788. p. 185. *Epitre sur le hasard.* *Garve* über das Daseyn Gottes. Bresl. 1807. Ed. 2. *vom Systeme des Zufalls*, p. 70 sq.

c) *Cicero* de natura Deor. lib. I. c. 13. *Antonin.* ad se ipsum, lib. VII. §. 9. *Ioseph.* Bell. Iud. lib. II. c. 7. *Seneca* de prouidentia. Discrimen enim poni debet inter Stoicos veteres et recentiores. *Thomasius* de fati Stoici malignitate, in exercit. de Stoica mundi exustione. Lips. 1676. p. 166 ss.

§. 106.

Doctrina biblica de prouidentia.

Deum *in universum* praeesse mundi vicissitudinibus, in libris V. T. diserte docetur (Psalm. XXXVII, 5. XCI, 1—7. CIV, 13—15. Ecclesiast. III, 14.). Mandato eius *in specie* subesse dicuntur tonitrua (Hiob. XXXVII, 5—7. Psalm. XVII, 8—17. XXIX, 3.), fulgura (Hiob. XXXVI,

31 sq.), hiems et procellae (Hiob. XXXVII, 6. Ion. I, 4.); bona vitae quaeuis (Psalm. CIV, 13 sq. Gen. XXVII, 20.), quid quod mors et mala omnia a nutu eius pendent (1 Sam. V, 9 sq. 2 Sam. XXIV, 15. Amos. III, 6. Exod. IV, 21. VII, 3. Ies. VI, 10.). Ante omnia inuigilat numen sorti hominum (Hiob. X, 9—12. XXXIII, 4 sq. Psalm. CXXXIX, 15 sq.), inde a teneris ad mortem vsque (Psalm. XC, 3. CIV, 29 sq.); bona externa quaeuis praemii (Psalm. XXXXVII, 25. Prov. III, 2. 10.), mala externa autem poenae loco habentur (Hiob. XI, 14 sq. XV, 23. 32 sq.). Dissimulari nequit, in his locis fere omnibus prouidentiam diuinam non seriem vicissitudinum mundi continuam vnitate consilii sapientissimi amplecti, sed euentus singulos tantum more humano curare; puriores tamen sententias iam suppeditant libri N. T. (Matth. V, 45. VI, 26—33. X, 29. Actor. XIV, 17. XVII, 26—28. 1 Petr. V, 6.), qui ordinem rerum visibilem et naturalem cum morali et inuisibili tenore continuo necti summo consensu docent (Luc. XXIII, 46. Rom. VIII, 38 sq. 2 Tim. IV, 18.).

Theologie des A. T. Leipzig 1796. pag. 147 sq. M. *biblische Theologie*, lib. I. p. 340 sq.

§. 107.

Doctrina ecclesiastica de prouidentia.

His fundamentis nisi docuerunt in ecclesia *prouidentiam, vel actionem diuinam, qua mundum Deus sapienter ad laudem gloriae suae conseruat et gubernat, constare praescientia, proposito et executione, ideoque diuidi in conseruantem* (conditricem), *concurrentem* (adsistentem) *et gubernantem* (directricem). *Conseruatio* (Psalm. CIV, 28 sq. Hebr. I, 3.), monent, *est actio numinis externa, qua omnia, quae sunt, ad gloriam suam sustentat; eaque vel vniuersalis, vel specialis, vel specialissima. Concursus* (συγχώρησις, vel ἐπιτροπὴ, permissio, concessio) *est cooperatio Dei in iis, quae fiunt ab animalibus et hominibus, et diuiditur in physicum* (Act. XVI, 28.) *et moralem* (Ies. XLV, 5—7.). *Gubernatio denique est actus prouidentiae diuinae, quo omnia sapienter moderatur et ad fines suos dirigit* [a]). Prouocant ad arguendam doctrinae veritatem cum ad *argumentum physicum* e natura rerum petitum; tum ad *historicum,* e nexu euentorum finali deriuatum; tum ad *morale, theologicum* et *biblicum,* e conscientia, sapientia numinis et oraculis diuinis adstruendum.

a) *Ioann. Damasc.* expos. fid. orthod. lib. II. c. 29, *Chemnit.* loc. theol. I, 303 sq. *Gerhardi* loci theol. t. IV, 32 sq. *Calou.* system. theol. tom. III. pag.

1127 sq. 1203 ss. Conf. regula Leibnitii: *Deus concurrit ad omnia, quatenus actionibus inest aliquid perfectionis.* Opp. ed. Dutens, tom. I. p. 474. Theodic. §. 3 sq. *Reinhard's* Dogmatik, ed. 2. p. 215 sq.

§. 108.

Censura doctrinae de conseruatione.

Negari nequit, articulo de *conseruatione*, quam *actionem Dei singularem* esse volunt *creaturis vim existendi prorogantem*, argumentis admodum speciosis commendari posse. Praefert enim auctoritatem *scripturae* (Psalm. CIV, 28. Col. I, 17. Hebr. I, 3.); arguit *imbecillitatem creaturae*, quae non suo arbitrio viuit (Rom. XIV, 7. 1 Cor. VI, 19.), sed a Dei potentia pendet; eumque sistit tanquam *substantiae auctorem* (Matth. X, 28.) vel in mortis discrimine homini propitium (Psalm. LXXIII, 26.). Propius autem considerata haec doctrina *anthropomorphismum* sapit, quia stare nequit opus humanum, nisi ab aliis curetur atque continuetur. Mundus autem *eadem* numinis voluntate atque *actione*, qua ortus est, etiam perpetuatur, quare non mortuorum Deus, sed viuentium est (Psalm. CIV, 30. Ies. XL, 12. 26. Matth. XXII, 30.). Deinde conseruatio a creatione separata facile gignit *errorem* de mundo in tempore formato aliasque opiniones praeiudicatas [a]). Hisce autem argumentis ducti *idonei auctores* originem rerum conditarum atque per-

petuitatem arctissimo semper vinculo coniunxerunt [b]). Quare nobis etiam seiungenda esse non videtur, nisi puerilis, vel popularis saltem religionis institutio distinctam docendi methodum postulet.

a) V. c. nullam inde a mundi primordiis auium ferarumque speciem intercidisse (*Doederlinii* institut. theol. christ. ed. V. §. 164. obs. 3.), quod omnino falsum est (*Choulant's* Anthropologie. Dresden 1828. t. I. p. 10 s.). Pendet enim existentia creaturae a fine illi praestituto, neque perennitatem cupiet, nisi Dei imaginem gerat (2 Cor. IV, 19.).

b) Puto *Augustinus* de ordine, l. I. c. 1—5. *Saluianus* de Dei prouidentia, edit. Baluzii. Paris 1684. *Theodoretus* orat. X. de prouidentia, in opp. ed. Schulz, t. IV. Deus *creator* in primo artic. *Aug. Conf.* *Gruneri* instit. theolog. dogmat. §. CIX. *Döderlein's* christl. Religionsunterricht, fortges. von *Junge*, t. VIII. p. 95 ss. *De Wette's* Dogmatik der evangel. Luther. Kirche. Berlin 1816. §. 87 ss. *Kant's* Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 185. *Schleiermacher's* evangelischer Glaube. Berlin 1821. P. I. S. 189 ss.

§. 109.

Epimetrum de concursu.

Concursum volunt esse *cooperationem Dei in iis, quae ab animalibus et hominibus fiunt,* tum *physicam,* tum *vitalem* et *psychicam,* vel *mo-*

ralem [a]). Vocabulo e Graecorum scholis deriuato [b]) primum usi sunt *Scholastici*, ut una ex parte Stoicis occurrerent, qui omnia fato fieri statuerunt, altera ex parte Pelagianis, qui, recte positis causis mediis, etiam docuisse videbantur, Deum semel creauisse, semper quiescere. Atque certum est omnino, Deum in auertendis malis atque peccatis hominibus ubique adesse efficacia longe saluberrima [c]). Patet tamen facili negotio, omnem de concursu Dei doctrinam meram esse amplificationem loci de creatione; nam si Deus est causa mundi aeterna, debet etiam sustentare vitam, vires, arbitrium atque libertatem animantium, hominum et angelorum, quid quod ipsius diaboli (Ioh. I, 3. Col. I, 16.), ideoque etiam simul operari in vicissitudinibus eorum omnibus. Eget igitur vel hic articulus gratia quadam in disciplina sacra propterea-que in eo pertractando cauendum erit primum, ne concursum Dei a *materia* actionum humanarum transferamus ad earum *formam*, quae in sola voluntatis libertate quaerenda est; deinde, ne per hanc occasionem incidamus in commenta *Dominicanorum*, *Cartesii* atque *Leibnitii* [d]); ultimo loco, ne hac doctrina abutamur ad fingendas quaestiones otiosas de *termino vitae* atque *salutis* [e]). Hic enim in nostra libertate, ille autem in sapientissimo Dei consilio (Psalm. CXXXIX, 16. Matth. X, 29.) positus est, quo spes latissima alitur (Rom. V, 4 s. VIII, 28.), desperatio autem quaeuis radicitus exstirpatur.

a) *Werenfels* de concursu Dei cum creaturis: in opusc. theolog. Ed. noua. Basileae 1782. t. II. p. 262 ss. *Kant's* Vorlesungen, p. 182 ss.

b) Quod apud *Ciceronem* est *confatale* et apud Pharisaeos βοήθεια τῆς εἱμαρμένης (*Iosephi*, B. I. l. II. c. 8. ult.), id a theologis medii aeui adpellatur ἐπιτροπὴ, συγχώρησις, *concursus*.

c) Vide §. 101. not. *b*.)

d) *Dominicani* docuerat praedeterminationem actionum *physicam*; *Cartesius* condidit systema causarum occasionalium, *Leibnitius* autem harmoniam praestabilitam figurauit. Vnaquaeuis harum sententiarum ita comparata est, ut libertatem voluntatis deprimat, vel plane tollat.

e) *Beverovicii* dissertatio de *vitae termino* (Lugd. Bat. 1639. cf. *Episcopii* opera. Amstelod. 1605. t. I. p. 378 s.), *fatali*, an *mobili*, magnas olim lites excitauit. Vide *Tizelii* collectionem scriptorum de termino vitae. Lips. 1691. Mobilem videri debere hominibus, ne in funem desperationis incidant, in aprico est; eundem tamen fixum et determinatum esse a Deo (Matth. X, 29.), indoli, moribus, saluti hominis conuenienter, prouidentiae natura certusque rerum ordo satis docet. *Leibnitii* theod. §. 46—56.

§. 110.

De gubernatione mundi.

Praecipua itaque et fere vnica pars prouidentiae est *gubernatio* mundi, quae non, vt reliquae diuisiones, sola vi et potentia diuina, sed sapientia simul, bonitate et iustitia nititur. Est autem

gubernatio mundi actio Dei, qua euentus naturales rerum omnium et inprimis actiones hominum ad sua consilia flectit; hoc est *sapientissima vniuersi administratio summo creationis consilio consentanea.* Probamus sententiam nostram *primum* e sapienti numinis natura (§. 62.): *nam si Deus est, vtique prouidens est, nec aliter divinitas ei potest attribui, nisi et praeterita teneat et praesentia sciat, et futura prospiciat* [a]) (Psalm. XXXVII, 5. CXI, 3. 1 Petr. V, 6.); quare oleum et operam perdidere semper, qui in demonstranda numinis prouidentia ab hoc argumento discesserunt [b]). *Alteram* rationem ducimus e contemplatione mundi teleologica, quem ad felicitatem, virtutem, summique boni e numine deriuandi originem et progressum egregie instructum esse probatum imus (Hiob. X, 8—11. Ps. XCIV, 9. CXXXIX, 13.) [c]).

a) *Lactant.* de ira diuina c. 9.

b) *Bayle* dictionaire histor. et critique, voc. *Manichéens*, *Marcionites*, *Pauliciens*. *Kant* über das Mifslingen aller philosophischen Versuche in der Theodicee, in den vermischten Schriften, ed. Halens. t. III. p. 145 sq. *Iacob's* vermischte philosophische Schriften. Halae 1797. p. 257 sq.

c) *Τίς γὰρ ἐξαρκεῖ λόγος, ὁμοίως ἐπαινέσαι, ἢ παραστῆσαι τὰ ἔργα τῆς προνοίας;* *Arriani* dissertatt. in Epictet. lib. I. c. 16. *Kant's* Kritik der Urtheilskraft, pag. 284 sq. 333. *Iakob's* Lehre von den Zwecken, in s. vermischten philosophischen Abhandlungen. Halle 1797. p. 1 sq. *Reimarus* von den göttli-

chen Absichten in der Welt, in s. Abhandlungen von den vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion. Hamburg 1791. p. 181 sq. *Mundum optimum* egregie iam defendit *Cicero de natura Deorum*, l. II. c. 7.

§. 111.

I. De mundo ad felicitatem in vniuersum egregie instructo.

Contendimus autem *primum*, mundum a numine *ad felicitatem quamplurimorum, qui viunt et cogitant, egregie esse instructum* [a]). Testes habemus terrae, marium, coeli structuram mirabilem; solem, lucis vitaeque fontem; lunae et astrorum cursus ratos et immutabiles; temporum certas vicissitudines; nubium, aëris, ventorum, tonitruum vim et efficientiam [b]). Adde eorum, qui in hac rerum uniuersitate viuunt, sentiunt, cogitant et rationis dono coelesti fruuntur, multitudinem et varietatem incredibilem; florum, herbarum, arborum, frugum immensitatem; fontium liquorem, laetam alimentorum fruitionem, sensuum voluptates omnium; diuitiarum, honoris, amicitiae, amoris, veritatis rectaeque conscientiae illecebras et gaudia perennia. Considera adhuc sapientiam, qua alma haec naturae dona, tum statis diebus temporibusque dimetata, tum singulis regnis, prouinciis, gentibus, quid quod creaturis indiuiduis dispensata vides, et manibus quasi contrectabis benefactorem inuisibilem (Act. XVII, 27.),

qui omnia gaudiis replet (Psalm. XXXVI, 9. Act. XIV, 17.) [c]).

a) *Cicero* de nat. Deor. lib. II. c. 37 sq. *Lactantius* de opificio Dei tot. *Nemesius* de natura hominis, c. 42. *Theodoreti* de prouidentia sermones decem, opp. ed. *Schulz.* tom. IV. p. 500 sq.

b) *Whiston* astronomicals principles of religion natural and reveal'd. London 1717. *Derham* theologie astronomique. Par. 1729. *Ahlwardt's* Brontotheologie. Greifswald 1746. *Bode's* Kenntnifs des gestirnten Himmels, ed. recent. Berol. 1800. *Dessen* allgemeine Betrachtungen über das Weltgebäude. Berlin 1804. p. 74. 118. 146. 170. *über die Bewohner der Gestirne.* *Kant's* physische Geographie, tom. I. tot. Königsberg 1802.

c) *Fénelon* démonstration de l'existence de Dieu, Amsterdam 1729. tom. I. p. 11 sq. *Sander* von der Güte u. Weisheit Gottes in der Natur. Carlsruhe 1778. *Lefs* Geschichte der Religion. Göttingen 1786. p. 11 sq. *Iakob's* allgemeine Religion. Halle 1797. p. 421 sq.

§. 112.

In specie ratione metallorum, plantarum, animalium.

Eandem prouidentiam loquuntur metallorum fodinae, lapidum varietas et vtilitas, montium altitudo, fluuiorum coelitus in orbem redeuntium perennitas, fontium salubritas, ferri copia et auri raritas [a]). In plantis animaduerte sexus vtriusque commercium mirabile, arborum et fruticum vtili-

tatem, et plantarum domesticarum indolem cuiuis fere coeli clementiae aptam et cum ea conuenientem [b]). In bestiis autem quantus numerus, ratio ad conseruationem generis, quanta instinctuum naturae vis, quanta indolis varietas, quanta volucrium, insectorum, piscium, testaceorum multitudo, venustas, in sequendis vitae commodis fugiendisque incommodis prudentia [c])! Quae omnia si attento animo considerentur, vel pertinacissimam incredulitatem superare et ad summas prouidentiae laudes excitare debent (Psalm. CXLV, 15 sq. Hiob. XXVIII, 24—27. Matth. VI, 28 ss.) [d]).

a) *Derham* theologie physique. Amsterdam 1730. tom. I. p. 90 sq. *Lesser's* Litholheologie. Hamburg 1735. *Walleri* Hydrotheologie. Berl. 1751.

b) *Linné* sponsalia plantarum in amoenitatt. academ. tom. I. p. 327. ed. Holm. *Herder's* Ideen, ed. min. tom. I. p. 74 sq. *Sprengel's* entdecktes Geheimniſs der Natur in dem Baue und in der Befruchtung der Blumen. 1795. *Girtanner* über das Kantische Princip der Naturgeschichte. Göttingen 1796. p. 384 sq.

c) *Herodot.* l. III. c. 202. ed. Wesseling. *Cicero* nat. D. II, 51. *Erasmi* colloquia, art. *amicitia.* Amstelod. 1693. p. 701 ss. *Lesser's* Testaceologie. Lipsiae 1744. Dessen Insekten-Theologie. Leipzig 1758. *Richter's* Ichthyotheologie. Lips. 1745. *Zorn's* Petinotheologie. Pappenheim 1742. *Smellie's* Philosophie der Naturgeschichte von Zimmermann. Berlin 1791. tom. II. *Iakob's* allgemeine Religion, p. 219 sq. *Reimarus* von den

Kunsttrieben der Thiere. Ed. 4. Hamburg 1798 *Reinhard's* Predigten über die Lehre von der Vorsehung. Leipzig 1805. p. 1 sq.

d) Animalibus sagacissimis nondum contigit, σπέρματα πυρὸς elicere e lapidibus vbicunque obuiis. Consideres quaeso, quid inde sequatur!

§. 113.

Imprimis ratione hominis.

Quantopere autem homini prouisum sit a numine, testatur omnis natura eius et perfectio. Neque enim sufficit, eum celsum et erectum constitutum esse, quasi spectatorem rerum coelestium; antecellit etiam bestiis sensuum acumine, oculorum laeto honore, vultus venustate et varietate admirabili [a]), vsu sermonis, ratione, consilio, prudentia, qua flumina arcet, ventos et maria moderatur, brutis imperat et media in rerum natura alteram quasi naturam efficere conatur [b]). Adde aequales sexus vtriusque rationes [c]); sapientiam, qua humanum genus, vel in regionibus et insulis desertis alitur et fouetur [d]); indolis, ingeniorum, curarum, laborum varietatem, qua in communes societatis fines (1 Cor. XII, 14—21.) colligatur [e]); natorum et morientium per omnes aetatis humanae gradus proportionem; et in oculos incurret tibi, nostram naturam inprimis a numine perfici atque sustentari [f]).

a) ***Plurima sunt iuuenum discrimina, nia seium***

facies. Iuuenal. Sat. X, 196 ss. Vide tractatum *Galeni* longe principem *de vsu partium corporis humani*, libror. XVII. opp. Basil. 1538. t. I. p. 367 ss.

b) *Cicero* nat. D. II. 54. sq. *Lactantius* l. c. *Iakob's* allgemeine Religion, p. 344. sq. *Herder's* Ideen, II. 122. sq.

c) *Galenus* de vsu partium humani corporis, libr. 10. *Nieuwentyt* rechter Gebrauch der Weltbetrachtung zur Erkenntnifs der Macht, Weisheit und Güte Gottes, übersetzt von *Segner.* Iena 1747. p. 210 sq. *Süfsmilch's* göttliche Ordnung in der Veränderung des menschlichen Geschlechts aus der Geburt, dem Tode und der Fortpflanzung desselben. Ed. 4. Berlin 1775. tom. 3. in 8. Eandem sexuum aequalitatem in oriente etiamnum obtinere ostendit *Olivier* in libro: voyage dans l'empire Othoman. Paris a. IX. ch. XI.

d) Tum auibus piscibusque stato tempore aduenientibus (*Cranz* Historie von Grönland, pag. 122. sq. *Gierig's* Lehre von der Vorsehung Th. I, 172. sq.); tum lignis a fluctibus adlatis (*Treibholz*). Vid. *Cranz.* l. c. pag. 50 sq. *Gmelin's* Reise durch Sibirien, tom. II. pag. 415. sq. *Kant* zum ewigen Frieden, pag. 56. Eundem vix probabiliter se retractantem in libro: physische Geographie, ed. *Rink*, tom. I. p. 139 sq. *Mayer's* physische Astronomie, §. 117.

e) *Ieder Mensch ist in Gottes Hand ein Werkzeug zu nützlichen Absichten*, in *Reinhard's* Predigten über die Vorsehung. Leipzig 1805. p. 133. sq.

f) Dignae sunt etiam, quae hic examinentur, naturae indagatorum sententiae de ossibus fossilibus monstrorum terrestrium (*Mammuts-Knochen*); vid. Theod. *Hase* de Manmuths, siue Maman,

dissert. et obseruat. sylloge VII. *Gmelin* l. c. III, 146. *Esper's* Zoolithen. Nürnberg 1774. p. 90. sq. *Kant's* Kritik der Urtheilskraft, §. 82. *Blumenbach's* Abbildung naturhistorischer Gegenstände, tab. XIX. *Goldfuſs* Umgebungen von Muggendorf. Erlangen 1810. p. 270 f.

§. 114.

II. De mundo ad perfectionem hominum moralem egregie instructo. Liberi arbitrii praestantia.

Neque tamen sensuum illecebrae felicitatis purioris sitim menti humanae insitam restinguere possunt; nostrae ipsorummet virtutis, recto libertatis vsu parandae, conscientia frui debemus. Hunc in finem instructi sumus libera, nisi sentiendi, cogitandi tamen et volendi facultate, quae a tenui initio progressa, iterato rationis exercitio, ad diuinam sensim, quam in viris sapientibus veneramur, *αὐτοπραγίαν* excoli atque euehi potest. Hoc autem non satis admirandum animi et corporis humani commercium neque e physico, quem vocant, influxu, neque e causis occasionalibus et harmonia praestabilita, *sed e primitiua vitae sensibilis et rationalis coniunctione in mente humana* [a]) deriuare debemus, cui mundi externi vicissitudines perpetua numinis prouidentia ita attemperatae sunt, vt homo sensim ex instinctuum naturalium imperio ad arbitrium brutum, liberum et libertatem moralem emergere queat [b]).

a) Vel *anima*, quae in vniuersum est ἐντελέχεια, seu *principium viuendi* (Gen. II, 7.). Diuiditur autem hoc principium vitale in *aeternum*, vel diuinum (Ioh. V, 26.), atque *ortum*, vel creatum. Animarum creatarum in rerum natura iterum diuersae occurrunt species gradatim ad diuinae vitae perfectionem adsurgentes, *nutrientes* et *sentientes* in regno plantarum; se *mouentes*, *cupientes* atque *cogitantes* in regno animalium; deinde libere et secundum *ideam* innatam *cogitantes* atque *volentes* in genere humano, cuius vitalitatem ita instruxit Deus, ut iis, quae sentiuntur, cogitando atque volendo idealem, hoc est rationalem atque diuinam veri bonique formam imprimere possit. Huic autem vitae sentientis atque rationalis aequilibritati, e qua liberi arbitrii facultas oritur, admirandum inesse diuinae prouidentiae documentum, nemo negabit, qui physiologiae (Grundzüge der vergleichenden Anatomie und Physiologie von *Carus*. Dresden 1828. B. I. pag. 31 ss.) atque psychologiae (praeeunte *Aristotele* de anima, *Cartesio* in meditatt., *Wolfio* et *Kantio*) hac de re praecepta hauserit atque imbiberit.

b) *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie, tom. V. p. 448. VI, 562 sq. 914 sq. *Malebranche's* recherches de la verité, lib. II. ch. 4. *Platner's* Aphorismen. Lipsiae 1793. tom. I. pag. 470. sq. *Fichte's* Sittenlehre, p. 193 sq. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 331 sq. 706 sq. *Clodius* in der allgem. Religionslehre, S. 48 sq. *Das Buch der Natur für Gottesverehrer*, Leipzig 1813. p. 57. ss.

§. 115.

Vestigia prouidentiae in institutione hominum politica, morali et religione externa.

Haec autem libertas hominum naturalis ne in licentiam abeat, prouisum est a numine ciuitatum institutione et legum inte natarum iustitia, in dies magis per varias rerum politicarum conuersiones excolenda, qua, represso cupiditatum libidinumque impetu, prima saltem virtutis humanae fundamenta ponuntur [a]). Pace stabilita inter populos fere omnes, efflorescere voluit artium, literarum, sapientiae et virtutis studia, quibus hominibus quamplurimis, pro sua cuiuis sentiendi et intelligendi facultate, ad veri, recti, bonique cognitionem viam strauit [b]). Accedit religionum, e sacris plerumque fontibus deriuatarum, diuersitas, quibus animos formari, a rebus externis sapienter auocari, patientia malorum et fortitudine roborari et laeta immortalitatis et vitae spe deliniri curauit [c]).

a) *Herder's* Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, III. 400 sq. ed. min. *Gierig's* Lehre von der Vorsehung, I, 238 sq. *Gerechtigkeit gegen uns und Andere ist erst der Anfang der menschlichen Tugend*, in m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums. Erlangen 1798. tom. I. p. 129 sq. De legibus orbis antiqui ante Mosaicam et Christianam, *Solonis*, puto, *Lycurgi*, *Zaleuci*, *Charondae*, *Romuli*, et ante omnes Aegyptiorum veterum, ad mores regundos idoneis. Quam vellem hunc locum a *theo-*

logo erudito tractari, *Grotii* et *Spenceri* vestigia premente! Vide *Andream Caluium* de prouidentia Dei circa respublicas, apud *Berevicium* de termino vitae p. 171 ss.

b) *Niemeyer's* populäre und praktische Theologie, ed. 4. Halle 1800. p. 213 sq.

c) *Meiner's* Grundrifs der Geschichte aller Religionen. Ed. 2. Lemgo 1787. *Dessen* allgemeine kritische Geschichte der Religionen, I, 133 sq. Adde varias Christianae religionis formas absque anxietate symbolica consideratas. Ueber das Verhältnifs des Christenthums z. Entwickelung des Menschengeschlechts, von *I. A. H. Tittmann.* Leipz. 1817.

§. 116.

In dispensatione mali physici.

Neque etiam aliena est a procuratione diuina *malorum physicorum*, hoc est, earum rerum, quae sensus nostros dolore adficiunt, dispensatio. Etenim ipsae, quibus indignabundi subinde ingemiscimus, calamitates et aerumnae retinacula sunt vis vitalis[a]), acuunt ingenium, reprimunt adfectus, promouent libertatem internam, roborant voluntatem, virtutes docent ante incognitas, auocant mentem ad Deum et res coelestes (Rom. VII, 17 sq.), et nouum quasi eumque meliorem animum nobis induunt[b]). Non enim temere, sed ita potius dolorum sensum intermiscuit numen gaudiis humanis, vt viribus, libertati, culpae, consuetu-

dini, sentiendique apud singulos homines diuersitati attemperentur (1 Cor. X, 13.) [c]); quare vix calamitate vitae qualicunque affligimur, quin sapienti eius patientia puriores a culpa et meliores euadere possimus (Eccles. VII, 4, Hebr. XII, 6 sq.) [d]).

a) *Kant's* Anthropologie, p. 168 sq. Des compensations dans les destinées humaines par Mr. *Azaïs*. Paris 1810.

b) Bonum virum Deus *in deliciis non habet*, experitur, indurat, *sibi illum praeparat*. *Seneca* de providentia c. 1.

c) *Fest* von den Vortheilen der Leiden. Lipsiae 1787. *Villaume* über den Ursprung und die Absichten des Uebels in der Welt. Lipsiae 1784 sq. *Weiſshaupt's* Apologie des Miſsvergnügens. Frankfurt und Leipzig 1790. *Zollikofer's* Betrachtungen über das Uebel in der Welt. Lipsiae 1789. ed 3. *Lueder's* Entwickelung der Veränderungen des menschlichen Geschlechtes aus ihren Ursachen. Braunschweig 1810. T. I. c. 5.

d) *Chrysostomus* de prouidentia l. III. c. c. 15. vbi egregie docet: τὸ κακὸν καθαρτήριν εἶναι τῆς πονηρίας.

§. 117.

Prouidentia in vitis singulorum hominum conspicua.

Quamplurima autem prouidentiae vestigia in *vitis hominum*, eorum inprimis deprehendimus, qui fatis meritisue suis inter aequales aetate eminuerunt. Si enim natiuitatem eorum, fortunam, primamque

educationem inuestigamus, inuenimus multa, quae futurum vitae genus, futuramque magnitudinem praeparare et portendere debent. Sin autem ad iuuentutis pericula pergimus, videbimus, laborum duritie, paupertate, curis, laudis cupiditate, exemplis aliorum animos erectos, suspensos, et ad bona quaeuis audenda obfirmatos fuisse. Adde postea mira veri cognoscendi praesidia; bene et egregie factorum adiumenta; liberationem a vitii et erroris vinculis; fatorum, quae animum ad virtutem reuocauerunt, diuersitatem; tentationum, persecutionum, periculorum euentum felicem [a]) et vniuersum vitae ad altiora tendentis cursum. In libris sacris vitae *Iosephi*, *Mosis*, *Iobi*, *Dauidis*, *Iesu*, *Pauli* (2 Cor. XI, 23. XII, 10.) aliorumque ea, quae dicta sunt, exemplis illustribus confirmant [b]).

a) *Gierig* von der Vorsehung, I, 189 sq.

b) *Niemeyer's* Characteristik der Bibel. Halae 1782. *Plutarchi* vitae parallelae. *Augustini* et *Russovii* confessiones. *Adami*, *Schroeckhii*, *Meinersii* vitarum collectiones. *Erasmi*, *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Reuchlini*, *Grotii*, *Gerhardi* aliorumque vitae singulares. M. Predigt: *die Vorsehung aus der Geschichte unseres eigenen Lebens*, in den Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums, tom. III. p. 317 sq. *Reinhard* von den Zeitpunkten der Entscheidung, welche in dem Leben der Menschen vorzukommen pflegen: in den Predigten im Iahr 1801 gehalten, tom. I. p. 159 sq.

§. 118.

III. Prouidentiae documenta in ordine rerum morali obuia.

Noua argumentorum, quae prouidentiae diuinae veritatem probant, series ducitur ex *ordine rerum, quo viuimus, morali, cui iustus virtutis remunerator, scelerisque vindex praeest* (§. 67 sq.). Virtus enim in ea, cui quasi intexti sumus, rerum vicissitudine, non solum pulcerrima sibi ipsi merces est, adeo, vt felicitatem internam, tanquam comitem inseparabilem, sibi habeat adiunctam (Psalm. XCVII, 11. Ies. III, 10 sq. Iac. I, 25. 1 Petr. I, 9) [a]); sed plerumque etiam bonis ornatur externis, quae praemii tarditatem subinde grauitate sua compensant (Psalm. XVII, 21. Eccles. VIII, 12 sq.) [b]). Versa vice scelestum non conscientiae solum erinnyes agitant, vt media in rerum omnium adfluentia sitiat careatque tristis (Prou. XIV, 10. Ies. XLVIII, 22) [c]); sed iustitia etiam vbicunque fere sequitur vindex (Sap. Sal. V, 15.), poenasque meritas [d]), post longum saepius interuallum, capiti suo infligit (Hiob. XV, 20 sq. Ies. III, 11. Matth. VII, 2. Rom. II, 3 sq.) [e]). Maiorem adhuc iustitiam qui in mundi gubernatione diuina desiderari posse sibi videntur, animaduertant quaeso, multas ab hominibus iactari virtutes, et accusari contra actiones improbas, quae culpa pretioue interno careant; physicam rerum continuitatem propter singula bene aut male facta tur-

bari haud posse; libertati etiam humanae, ne in necessitatem moralem abeat, aliquid tribuendum esse; animosque hominum poenarum praemiorumque inaequalitate quadam ad futuri temporis spem metumque, ideoque ad immortalitatis et instantis iudicii exspectationem saluberrimam sapienter suspensos teneri debere *f*).

a) Sacer intra nos spiritus sedet, malorum, bonorum nostrorum obseruator et custos: *hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Seneca ep. XLI.

b) Illustrantur dicta exemplis Iosephi, Iobi, Davidis, aliorumque. Vid. *Chrysostomum* de prouidentia, l. I, c. 8 sq.

c) *Deorum tela in impiorum mentibus figuntur. Cicero* de haruspicum responsis, c. 18. Cf. *Aeschyli* Eumenid. v. 483 ss. *Euripidis* Electr. v. 1250 ss. Male est extra legem viuentibus: quidquid metuerunt semper exspectant. *Petron.* Satyr. c. 125.

d) *Von dem heiligen Gesetze der Vergeltung, das uns umschwebt;* in m. Religionsvortr. im Geiste Iesu. Göttingen 1804. t. I. p. 23 sq. *Reinhard* über die Macht der Wiedervergeltung bei den Angelegenheiten des Menschen. Predigten im Iahr 1802 gehalten. Pr. 30.

e) *Plutarchus* de sera numinis vindicta. De iusto, post integrum decennium, quo atrocissime deliquerat, supplicio totius legionis Campanae, in *Freinshemii* supplementis ad *Liuii*, libr. XII. c. 27 s. XV. c. 3 s. *Lactantius* de mortibus persecutorum. *Ammianus Marcellinus*, lib. XIV. c. 11. (de Adrastea, vel Nemesi locus egregius);

Conf. vitam auctoris in edit Bipont. p. XX. sq. et *Aelii Lampridii* Heliogabalum, c. 1. *Brizard* du massacre de la St. Barthélemy. Paris 1789. tom. II. p. 256 sq. *Raguenet* histoire de Cromwell. Paris 1691, de exitu funesto percussorum Caroli I. Addatur *Senecae* de prouidentia liber totus.

f) *Elpizon.* Danzig 1803. Dritte Ausg. I, 122 ss.

§. 119.

Aduersariorum prouidentiae argumenta speciosa.

Restat, vt obiectionum adhuc mentionem faciamus, quibus diuinam mundi gubernationem suspectam reddere conati sunt aduersarii. Prouocauerunt enim *primum* ad mali physici et moralis originem, et instantem adhuc impiorum damnationem aeternam, quam cum prouidentia conspirare plane negant (Matth. XXV, 46.) *a*). Addidere concatenationem eorum, quae in mundo volente numine fiunt, siue physicam, siue rationalem, qua libertatem hominis qualemcunque seclu li identidem iactant *b*). Neque *defuerunt*, qui ordine rerum a numine semel constituto preces humanas irritas fieri subtiliter et dolosis conclusiunculis statuerent *c*). *Plurimi* autem aegre tulerunt hoc, quod virtutem, praemio suo fraudatam, ad pistrinum detrudi, scelus autem ad summam felicitatem et dignitatem euehi viderent

(Hiob XXI, 7 sq. XXVII, 2 ss. Ps. LXXIII, 4. 13 sq. Eccles. VII, 16. VIII, 14.) [d]).

a) *Chemnit.* loc. theol. I, 326 sq. *de causa peccati.* *Bayle* de dictionaire art. *Xenophanes.* *Platner's* Aphorismen. Lips. 1793. t. I. §. 1013 sq. Quid si quis Deus mihi largiatur, vt ex hac aetate repueriscam, et in cunis vagiam, valde recusem. *Cicero* de senectute, c. 23. Praeiuerat *Plato* (epinom. pag. 238. ed. Bip.): μήποτ' ἐθελῆσαι πάλιν ἀναβιῶναι, λογισάμενον τὸν βεβιωμένον ἑαυτῷ βίον, ὅστις μὴ τυγχάνει παιδικῆς δόξης μεστὸς ὤν.

b) *Bayle* dict. art. *Manichéens* et *Pauliciens.* *Döderlein's* christl. Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge*, tom. VIII. p. 163 sq.

c) *Maximus Tyr.* dissertat. XI. cap. 3. edit. Davisii, p. 117 sq.

d) *Lucan.* Pharsal. l. III, 448 s. *seruat multos Fortuna nocentes. Et tantum miseris irasci numina possunt.* *Claudianus* in Rufinum, l. IV, 12 sq.

§. 120.

Vindicatio prouidentiae.

Respondetur autem ad has argumentationes *primum*, mala physica, quorum iusto minor est numerus, quam vulgo creditur [a]), aeque, ac moralia, cum ex naturae finitae, limitibus circumscriptae et errori subiectae indole, tum e libertatis humanae abusu promanare, numinisque sapientia plerumque in bona resolui [b]). *Deinde* voluntatis humanae ad libertatem moralem pro-

gressus omnino cum decreto diuino stare potest, dummodo id, quod teste conscientia nostra sumus et agimus, a iudicio intellectus summi, cui omnia debemus, rite distinguamus (§. 63. c.) [c]). *Preces* autem non propterea fundimus, vt rerum ordinem externum, qui interdum spissa caligine premitur, mutemus, sed vt in animos nostros robur et tranquillitatem deriuemus, ideoque sempiterna bonitate diuina fruamur [d]). Virtutis *denique* praemia, scelerisque supplicia non tam ad hominis externi, qui a naturae legibus pendet, quam ad interni statum felicem tristemue referri debent, quem ad culpae meritique rationes vbicunque adcommodatum deprehendimus, quamuis plerumque neque praemia externa, neque supplicia a recte maleue factis plane absint (Hiob XX. tot. Psalm XXXVII, 2 s. LXXIII, 2 sq.) (§. 117.) [e]).

a) *Tout bien compté et bien pesé, je trouve infiniment plus de douceurs, que d'amertumes dans cette vie. Voltaire* lettres au Roi de Prusse, lettre 52. Cf. *Lichtenberg's* vermischte Schriften. Göttingen 1800. tom. I. p. 178.

b) *Gerhardi* loc. IV. 101 sq. *Le mal moral est incontestablement notre ouvrage, et le mal physique ne seroit rien sans nos vices, qui nous l'ont rendu sensible. Rousseau* Emile, lib. IV. ed. Bipont. tom. IX. p. 45. *Leibnitz* essai de theodicée. Amsterdam 1710. deutsch von *Gottsched.* Hannover 1763. §. 241 ss. *Werdermann's* Versuch zur Theodicée. Dessau 1789. *Niemeyer's* Philotas, ein Versuch zur Beruhigung für Leidende und

Freunde der Leidenden, tom. I — III. Leipzig 1808. *Tzschirner* über den Krieg. Leipz. 1815. p. 294 ss.

c) *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. II. p. 128 sq. *Iakob's* allgemeine Religion, p. 507 sq.

d) *Origenes περὶ ἐυχῆς*, c. XVII — XIX. edit. Reading. Londini 1728. pag. 33 ss. *Ierusalem's* Betrachtungen, tom. I. p. 83. M. wissenschaftlich-praktische Theologie. Götting. 1797. §. 144.

e) *Senecae* libellus de prouidentia aureus, si a Stoica recesseris magniloquentia, qua nos Deum antecedere docet: hunc enim *extra* malorum patientiam esse, nos *supra* patientiam (c. 6.). *Reimarus* Abhandlungen von d. vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion. Hamburg 1791. pag. 603 sq.

PARS TERTIA.

DE

ORDINE DIVINO SALVTIS HOMINIBVS PER IESVM CHRISTVM

PARATAE.

PARS TERTIA.

DE ORDINE DIVINO SALVTIS HOMINIBVS PER IESVM CHRISTVM PARATAE.

SECTIO I.

DE IESV CHRISTO SALVATORE HOMINVM.

§. 121.

Iesum Nazarethanum fuisse hominem.

Iesu Nazarethani, melioris doctrinae auctoris (Ioh. I, 17. IV, 23 sq.), legatio ad genus humanum quum in libris sacris tanquam singulare prouidentiae diuinae beneficium proponatur (Ioh. III, 15 sq. 1 Ioh. IV, 9.); necesse fuit etiam, prouinciam et dignitatem huius internuntii curatius describi. Quamuis enim religionis doctrinae immutabiles (Hebr. XII, 27.) ab hominis qualiscunque natura haud pendeant, proptereaque Iesus ipse aetate suppares non de honoris et cultus sui (Matth. VII, 21. Ioh. VIII, 50.), sed de veri percipiendi

ipsorumque salutis promouendae cura admonuerit (Matth. IV, 16. Ioh. VII, 17.); patet tamen, doctorem et doctrinam salutis in animis hominum haud vno vinculo coniungi (Ioh. VII, 28. XII. 45.) et beneficia euangelii imprimis a fide in Iesu, Dei filio collocata (Ioh. XV, 5. XVII, 3.) pendere [a]). Ordiuntur itaque doctores ecclesiae historiam Iesu Christi hac sententia, qua eum ab eo ipso momento, quo in virginis vterum coelitus descendit, naturam vere et proprie humanam induisse (Ioh. I, 14. Hebr. II, 14. IV, 15. Luc. VII, 37 sq. XXIV, 39. Phil. II, 7 sq. Rom. VIII, 3.) contra eos contendunt, qui Iesum specie tantum humana inter mortales versatum esse opinati sunt [b]).

a) Deum esse, germana pietate colendum, Iudaei docent, Muhamedani et Christiani; in hac fide autem excolenda et in imas medullas conuertenda Iudaei Mosen, Muhamedani vatem suum (*Reland* de religione Muhamedica. Vltraiecti 1705. p. 31 ss.), Christiani Iesum sequuntur. „*Ici* (au tombeau de I. C.) *les plus hautes vérités de la foi semblent s'abaisser et devenir sensibles aux coeurs les plus simples.*" Chateaubriand, les martyrs, à Paris 1809. III, 17. Digna omnimo sententia, quae Christologiae in vniuersum praefigatur, ne placeamus nobis in obseruatione satis ambigua, *aliam esse religionem Christi*, *aliam eamque degenerem religionem de Christo* (*Herder's* Ideen zur Philosophie der Gesch. der Menschheit, l. XVII. init.). Cfr. oratio nostra: *von dem Hinneigen der Zeit zu einem Christenthume ohne Christus*, in m. *Magazin* für christl. Prediger, t. I. p. 354 ss.

b) Basilidem, Valentinum, Marcionem, Muhamedum (Corano Sur. IV, 156.) et recentiores Gnosticos. Vide *symbol. Nicaenum* et *August. conf.* art. III. de filio Dei. *Chemnit.* loc. I, 165 sq.

§. 122.

Ἐνανϑρώπησις *Iesu.*

Haec autem humanitatis Iesu initia ita describunt auctores sacri, vt eum sive de coelo venisse in vniuersum (Ioh. III, 31. VI, 62. Phil. II, 7. Gal. IV, 4. Hebr. II, 14.), siue spiritus sancti et potentiae diuinae effectu singulari in vtero virginis Mariae, quod ad humanam naturam attinet, procreatum esse doceant (Matth. I, 18 sq. Luc. I, 35). Hanc sententiam posteriorem, reiecta eorum opinione, qui Iesu primordia a mutua Iosephi et Mariae consuetudine repetierunt[a]), antiquam coelitum cum mortalibus consuetudinem praetexentes[b]), ita tenuere patres et ecclesiae doctores, vt, Iesum a spiritu, vel Dei filio aeterno genitum[c]), a Maria matre, inuiolata eius virginitate, (loco Luc. II, 22 sq. non obstante)[d]) in lucem editum esse, contenderent[e]). Quae omnia complectuntur mysterio *inhumanationis*, vel actionis filii Dei passiuae, qua humanam naturam nobis consubstantialem, sed ἀναμαρτησίᾳ naturali distinctam (Hebr. IV, 15. 1 Petr. II, 22), in vnitatem hypostaseos suae ad salutem hominum adsumsisse dicitur[f]).

a) Videlicet *Ebionitarum, Cerinthi et Carpocratis. Irenaeus* aduers. haeres. lib. I. c. 25. *Epiphanii* haeres. 10 sq. *Versuch eines schriftmäſsigen Beweises, daſs Ioseph der wahre Vater Christi sei.* Berlin 1792.

b) Vide exemplum admodum memorabile apud *Ioseph.* Antiq. l. XVIII. c. 3. §. 4. *Ciceronem* de nat. Deorum, l. I. c. 27.

c) Ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἱονεὶ θεῖος σπόρος. *Ioann. Damascen.* exposit. fid. orthod. lib. III. c. 2.

d) Conf. *Cyrilli* Hierosol. cateches. XII. §. 27 sq. et Catechismus Romanus artic. III. c. 4.

e) *Chrysostomus, Hilarius, Gregorius* M. homil. 26. euangel., quibus et formula concordiae (pag. 767.) adstipulatur. Cf. p. 606. 763. et *Gerhardi* loc. theol. IV, 36 sq. cum *Calouio* VII, 188 s. Contrariam tamen sententiam iam *Origenes* tuitus est; vid. *Huetii* Origeniana quaest. IV. p. 64 sq.

f) *Calou.* syst. locor. theolog. tom. VII. pag. 131. *Daubii* theologumena, §. 92—97.

§. 123.

Continuatio doctrinae critica.

Obiecere tamen aduersarii, inprimis recentiores, hanc Iesu conceptionem mirabilem testimoniis idoneis destitui; neque Iesum vnquam, neque Ioannem, qui tamen a Mariae ore pependit (Ioh. XIX, 27), ad eam prouocare (Ioh. VII, 42); potius a populo Ieseum palam pro Iosephi filio haberi

(Ioh. I, 46. Matth. XIII, 55 sq. Marc. VI, 3. Luc. II, 48. IV, 22. Ioh. VI, 42. Rom. IX, 5.) [a]); de Budda Indorum [b]), Simone Mago [c]), aliisque similia iactari [d]); omnemque natiuitatis Iesu historiam, difficultatibus historicis vbicunque laborantem [e]), praeeuntibus vatum oraculis (Ies. VII, 14. Mich. V, 1.), aeuo sequiori demum compositam esse. Quae quidem argumenta, licet rationibus vere historicis atque criticis vbique refutari non possint, conuellere tamen nequeunt sententiam, λόγον, *qui Iesu infuit, de coelo venisse;* et in hac etiam persuasione cum auctoribus sacris (Ioh. I, 14. VI, 62.) subsistere argumentis practicis (1 Cor. XV, 47.) cogimur [f]).

a) *Bynaeus* de natali I. C. libri duo. Amstelod. 1689. p. 561 ss. *Wagenseilii* tela ignea Satanae, Altorfi 1681. fin. toled. Ieschu. p. 6 s.

b) *Hieronym.* aduers. Iouinian. lib. II. c. 14. Conf. *Klaproth's* Asiatisches Magazin. Weimar 1802. St. 3 sq. *von den Incarnationen des Vhisnou.* Ne foret hic igitur mortali semine cretus, ille Deus faciendus erat. *Ouid.* metam. XV, 760 sq. Aegyptii statuebant, ὡς γυναικὶ μὲν οὐκ ἀδύνατον, πνεῦμα πλησιάσαι θεοῦ, καὶ τινας ἐντεκεῖν ἀρχὰς γενέσεως. *Plutarchus* in Numa c. IV. opp. I, 245. e. R.

c) Ego (Simon) sum prima virtus, qui semper et sine initio sum. *Ingressus autem sum in vterum Rachel*, natus sum ex ea, vt homo, vt ab hominibus videri possim. *Apostol. histor. de Petro*, lib. I. c. 9. in *Fabric.* cod. apocryph. N. X. t. II. pag. 416.

d) Vide commentationem nostram: *de primordiorum Iesu Christi fontibus, incrementis et nexu cum religione Christiana*, in opusc. theolog. nouis. Gotting. 1803.

e) M. bibl. theologie, tom. II. p. 245 sq. Briefe über den Rationalismus. Aachen 1813. p. 146 ss.

f) Nolimus enim doctores immorari iis, quae post alios inprimis *Sanchezius* de modo conceptionis Iesu, et inter nostrates ipse *Lutherus* (opp. Walch. tem. XI. p. 2978.) in oratione ad populum habita hac de re proposuit. Psychologica etiam subtilitas hoc loco magnis excidit ausis: *Das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristenthums* von *Paulus*. Heidelb. 1828. Th. I. Abschn. 1. p. 81 ss.

§. 124.

Doctrina biblica de persona Christi.

Distinguunt autem libri sacri in adumbranda τοῦ λόγου cum homine Iesu coniunctione periodos tres, et singulis sua praedicata tribuunt. *Prima* enim complectitur naturae Christi sublimioris existentiam apud patrem (Ioh. VI, 62. Ioh. I, 1 sq. Phil. II, 6), eique gloriae coelestis fruitionem mundique creationem vindicat (Ioh. XVII, 5. Col. I, 16. Hebr. I, 2.). *Altera* continet vitae humanae Iesu cursum, ad eumque doctrinae (Ioh. XVII, 14), miraculorum (Ioh. V, 36.) et mortis salutaris (Matth. XX, 28. XXVI, 28. Act. XX, 28.) prouinciam sortemque refert. *Tertia* denique reditum Christi in regiones coelestes occupat, Christo-

que iam ad dextram Dei exaltato (Act. II, 33. Hebr. VII, 26.) corpus subtilius (Phil. III, 21.), sanguinis sui in adyto coelesti oblationem et adspersionem (Hebr. IX, 4. 24 sq. X, 12. XII, 24), intercessionem pro peccatis hominum (Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. 1 Ioh. II, 1 sq.), ecclesiae suae regundae munus (Matth. XXVIII, 18. Ephes. I, 21 sq. Phil. II, 9.), suo tempore deponendum (1 Cor. XV, 28.), futurique iudicii orbis terrarum maiestatem (Matth. XXV, 31) tribuit. Hac autem institutione et doctrina librorum sacrorum, si a locis nonnullis, quibus lectio sana haud inest [a]), disces-seris, tantum abest, vt sequiorum litium semina proiiciantur, vt potius θεανθρώπου, *personae*, *naturae* et *communicationis idiomatum* notiones et voces in iis ne occurant quidem. Quamuis enim Deum summum corpore qualicunque in oculos sensusque incurrere posse diserte negent libri N. T. (Ioh. I, 18. 1 Timoth. VI, 16); numen tamen, quod vel mundum et ecclesiam replet (Act. XVII, 27. Ephes. I, 22 sq.), cum maxime Iesum hominem λόγῳ suo iniuisse et repleuisse (Col. II, 9), tradere poterant; et in hac forte sententia, sine aliis additamentis, acquiescendum erat doctoribus [b]). Negari tamen nequit, subtilissimam hanc de duplici natura Messiae disputationem iam Rabbinorum ingenia exercuisse [c]).

a) Puto Act. XX, 28. vbi non θεοῦ, sed κυρίου cum codd. ACDE., adstipulantibus Irenaeo, Eusebio, Athanasio, Augustino, Hieronymo aliisque lé-

gendum est. Vide. *Wetstenii*, *Griesbachii* et *Matthaeii* editiones ad hunc locum. Neque similem etiam lectionem, ὁ λύει τὸν Ἰησοῦν, 1 Ioh. IV, 3., quam cum versione vulgata etiam *Socrates* commendat (H. E. VII, 32.), genuinam esse existimo. Λύειν enim, quod a Ioannis oratione contexta alienum est, interpretamentum τοῦ μὴ ὁμολογεῖν, siue scholium, et ad refutandam Christi solutionem Gnosticam margini adscriptum esse videtur. Videlicet Gnostici alium Iesum faciebant, alium Christum. *Tertullian.* de carne Christi cap. 24.

b) Vide commentationem nostram: *de prologi Ioannei fontibus et sensu*; in opusculis nou. theologicis. Gottingae 1803. In longe alia abit b. *Storr* in libro: Dogmatik, übers. von *Flatt* pag. 541 sq.

c) V. c. *Simeonis* Iochaidae in libro Sohar (videatur *Schoettgenii* dissertatio docens, R. Simeonem B. Iochai religione fuisse Christianum. Dresdae 1735. §. 8. et Knorrii Cabbala denudata t. I. p. 2. pag. 231 s.) recentiorumque Cabbalistarum. Ventosae autem istae de microcosmo hallucinationes a. N. T. maxime sunt alienae.

§. 125.

Accessiones ecclesiasticae ad hanc doctrinam.

Haec autem, quamuis varia, simplex tamen auctorum sacrorum doctrina post breue interuallum multis accessionibus humanis aucta est. Post *Origenem* enim, qui, suo licet sensu, Mariam θεοτόκον adpellauerat, surrexit primum *Apolli-*

naris, qui, vt personarum pluralitatem effugeret, *λόγον* rationis, vel *νοὸς* vicem in anima Christi expleuisse statuit[a]), mox a *Nestorio* reprehensus, cui Deus bimestris, vel trimestris haud sine veri specie displicuit[c]). Compellauit itaque Mariam *χριστοτόκον*, vel *θεοδόχον*, paulo post propter nimiam naturarum Christi separationem (*χριστόλυσιν*) concilii Epheseni (a. 431.) anathemate percussus, quo, naturas Christi *ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως* vnitas esse, haud sine diris ecclesiasticis sancitum esse legimus[c]). Secutus est *Eutyches*, quem delapsum in sententiam contrariam, qua naturam Christi humanam a diuina plane absorptam fuisse statuit, synodi Chalcedonensis (a. 451.) decretum coercuit, naturas Christi *ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως* coniunctas esse statuens [d]). Continuatis per aliquod tempus dissidiis monophysiticis et monotheleticis [e]), praeualuit synodi Constantinopolitanae (a. 680.) sententia, qua, Christum secundum vtramque naturam idem quidem velle, duabus tamen voluntatibus instructum esse, promulgatum est[f]). Sopitas dudum lites iterum suscitauit *Zwinglii* et post illum *Osiandri* controuersia, qua de reali idiomatum communicatione, et de vero iustitiae hominum fonte in vtraque Christi natura disceptatum est[g]).

a) *Walch's* Entwurf einer Historie der Ketzereien, tom. III. p. 119 sq.

b) *Socratis* Histor. eccles. lib. VII. c. 34. *Evagrii*

hist. eccles. I, 2 s. II, 4. *Doucin* histoire du Nestorianisme. Paris 1698. p. 36 ss.

c) „In trinitate *alius* atque *alius*, non *aliud* atque *aliud*: in Salvatore *aliud* atque *aliud*, non *alius* atque *alius*.“ *Vincentius Lerinensis* c. XIX. *Liberati* breuiarium, c. 12—19. *Fuchs* Bibliothek der Kirchenversammlungen, tom. IV. pag. 78 sq. *Walch*, tom. V. p. 369 sq.

d) *Fuchs* l. c. p. 458. *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Iunge*, tom. XI. p. 59 sq.

e) *Evragii* hist. eccles. III, 13. *Liberati* breuiarium, c. 16 s. *Walch's* Historie der Ketzereien, tom. VII—XI. tot.

f) *Ioannis Damasceni* expositio orthod. fid. lib. II. c. 14.

g) *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. II. p. 323 sq. tom. IV. p. 249 sq. *Cottae* historia doctrinae de Christo, redemtore hominum; in Gerhardi loc. theol. ed. Tubing. t. IV. p. 1 sq.

§. 126.

Doctrina ecclesiastica.

Post tot et tanta itaque dissidia constitutum est in ecclesia; inhumanationem λόγου secutam esse *vnionem hypostaticam*, vel arctissimam duarum naturarum Christi coniunctionem, quae indissolubilem vtriusque communionem inferat (Col. II, 9.)[a]). *Communionem naturarum* in persona Christi esse vtriusque indolis participationem mutuam,

quae tamen confusionem et commixtionem omnem secludat. Hanc autem naturarum participationem *triplici* fieri ratione: *siue* ita, vt vna, vel altera natura proprietatem suam tribuat toti personae (1 Cor. II, 8. Act. III, 15. Ioh. VIII, 58); *siue* hoc modo, vt vtraque natura cum altera coniuncta proprietatem suam ad personam Christi transferat in redemtionis humanae officio (1 Cor. I, 30. XV, 3. Gal. I, 4); *siue* hac demum ratione, vt natura Christi diuina, humanae attributa sua operantia inferens (Matth. XXVIII, 20. Ioh. V, 22. 27. XVII. 3. 1 Ioh. I, 8.), eam in societatem adorationis, omnipraesentiae et dominii in ecclesiam adducat [b]). Primum communicationis genus adpellatur *idiomaticum* (attributorum); alterum *apotelesmaticum* (officii); tertium *auchematicum* (maiestatis); propositiones autem hanc participationem enuntiantes vocant *personales* [c]).

a) Naturas Christi *substantias* appellauit *Vincentius Lerinensis* commonitor. c. XVIII. „Beata inquam ecclesia, quae in Christo duas veras perfectasque *substantias*, sed vnam Christi credit esse personam: vt neque *naturarum* distinctio vnitatem personae diuidat, neque iterum personas diuidat, neque iterum personae *vnitas* differentiam confundat *substantiarum*."

b) Vide articulum *formulae concordiae* de persona Christi, qui octauus est diligentissime contra *Paulum* Samosatenum, *Zwinglium*, *Melanchthonem* atque *Heshusium* cum *Wigando* scriptus.

c) *Ioannes Damascenus*, lib. III. c. 11 sq. *Melan-*

chthon loc. theolog. *de filio*, p. 325 sq. *Formula concordiae* c. VIII. de persona Christi. *Chemnitius* de duabus naturis in Christo etc. Ienae 1591. 4to inprimis c. 29 s. *Gerhardi* loci t. III. pag. 348 sq. *Calov.* tom. VII. p. 200 sq. *Loescher* in historia motuum. Francof. 1723. t. II. p. 213 ss. inprimis autem *Walch* in libro: Einleitung in die Religionsstreitigkeiten *ausser* der Lutherischen Kirche. Iena 1734. B. III. pag. 274 ss. quo loco egregia notitia literaria huius dogmatis continetur.

§. 127.

Censura huius doctrina.

Quamuis autem facile concedamus, hunc articulum omnino gravissimum atque haud sine summa diligentia tractandum esse, tamen inficias ire non possumus, theologos sagacissimos in eo illustrando subtilitate sua parum profecisse [a]). *Primum* enim totus locus ita in scriptura sacra tractatur, ut dogmatici scriptores magis conclusiunculas suas, quam apostolicam doctrinam secuti esse videantur [b]). Deinde vix cogitari potest, quomodo divinae in Christo naturae hypostasis cum natura eius humana, cui rationis et voluntatis facultas recte tribuitur, in unam persona coire queat [c]). Mysterii autem, cuius fidem hoc loco implorare solent, ita comparata est indoles, ut saltem contradictione logica carere debeat (§. 40. s.), cuius invidiam sibi doctores ecclesiasticos nimia pugnandi cupiditate conflavisse satis constat [d]). Inter no-

strates igitur non nisi iure suo utuntur, qui in salutaris fidei doctrina humanam auctoritatem pro divina sibi obtrudi plane deprecantur atque recusant.

a) *Chemnitius*, qui vitam huic doctrinae impendit, ultimo loco ingenue fassus est, *mediocrem* eius cognitionem sufficere (*de duabus naturis in Christo*, c.X.). *Doederlinus* sacrae syluae huius dogmatis magis *parcendum*, quam ipsam colendam esse putauit (*instit. theol. christ.* §. 253. obs. 1. Dessen *christl. Religionsunterricht*, fortges. von *Iunge*, Th. XI. pag. 52 ss.). *Morus* substitit in historica sententiarum expositione (*commentario* in epitomem suam, t. II. p. 37 ss.), in qua etiam *Reinhardus* adquiescere videtur (*Dogmatik*, §. 92.). Neque *Hahnius* diffitetur, multa hic doceri ὑπερβατικῶς (*Lehrbuch des christl. Glaubens*, §. 94.). *Cramerus* ingenue monet de eodem dogmate ecclesiastico: *es gründet sich auf falsche Praemissen, welche gegen die Vernunft sind* (Vorlesungen über die *christl. Dogmatik.* Leipz. 1829. p. 302.). Prae ceteris moderationem suadet *Bretschneiderus* im *Handbuche der Dogmatik.* Dritte Ausgabe. Leipzig 1828. t. II. p. 184 s.

b) Christum hominem ad potentiam, scientiam et bonitatem Dei *summam* nunquam adspirasse *diserte* monent literae sacrae (Marc. VI, 5. XII, 32. V, 30. Matth. XIX, 17.). *Formula concordiae* autem docet, eum etiam secundum humanam naturam *omnia nosse et posse* (art. VIII.).

c) Ἀνυποστασίαν (*die Unpersönlichkeit*) naturae humanae Christi, quamuis ratione et voluntati praeditae, docent omnes (*Schleiermacher's* Glaube, II,

210. *Knapp's* Vorlesungen, II, 215.). Natura intelligens et volens autem sine hypostasi circulus est sine centro. Vide *Arnoldi* catechesin Racouianam, p. 177.

d) *Formula Concordiae* monet l. c., ubique praesentem esse et omnia nosse *nunquam fieri posse* proprietates *essentiales* humanae naturae Christi (ed. Rechenberg, p. 763.). Alio autem eiusdem articuli loco addit: Christum secundum humanam naturam omnia posse et nosse, quatenus per spiritum *omnem scientiam* et *potestatem reipsa* et *vere* acceperit (p. 782.). Vera autem eaque summa potestas et scientia homini oblata quomodo extra eius essentiam *cogitari* queat, nemo facile intelliget, nisi Deum ipsum inter τὰ τύχοντα retulerit.

§. 128.

Vera loci summa.

In describenda igitur persona Christi, non idealis, sed talis, qualis inter homines vixit (Heb. I, 21.) atque nunc in coelo vivit (1 Ioh. II, 2.), hic nobis sequendus erit e literis sacris disciplinae ordo, ut *primo* loco ponamus naturam eius divinam, quae est *verbum salutare, imago Dei invisibilis* a patre ante secula genita, quae ab initio apud Deum erat in sinu eius delitescens (Ioh. I, 1. 18.) [a]). *Altero* loco credendum est, in huius imaginis societatem per spiritum sanctum (Luc. I, 35.) venisse piissimam Iesu *animam* in corpore humano sibi *consciam* (Luc. II, 49.) propterea-

que *personalem*, scientiae atque virtutis *incrementi* (v. 52.) capacem, quod in diuinam hypostasin nunquam convenit [b]). Tertio loco finienda est *indoles* huius societatis, quae *physica* est ratione substantiae cum homine Christo communicatae (Ioh. I, 14. Phil. II, 7.), *moralis* autem ratione voluntatis continua pietate ad legem patris hic terrarum (Ioh. V, 17. 19. XIV, 10.) et cum maxime adhuc in statu gloriae compositae et efficacis (Hebr. VII, 35.) [c]). *Quarto* loco illustrandus est *gradus* utriusque naturae Christi societatis, qui *unus* et immobilis est ratione *spiritus* (Hebr. IX, 14. XII, 8.), vel substantiae divinae in Christum collatae, *mobilis* autem et infinitae perfectionis idoneus ratione liberae *voluntatis* Christi hominis aeternam patris virtutem aemulantis (A. Ioh. XII, 32. XVII, 22. Phil. II, 8. Hebr. III, 21.) *Quinto* denique loco considerandus est finis huius doctrinae, qui unice quaerendus est in incarnatione filii Dei ad reparandam *salutem* generis humani (Ioh. III, 15 s. Hebr. VII, 26.), quare verbum *gratiae salutaris* (Ioh. I, 14. Hebr. XIII, 26. Pet. II, 11.), quo Deus infuit Christo (2 Cor. V, 19.), non confundendum est in natura Iesu humana cum verbo *potentiae* atque *providentiae* (Ps. XXXII, 6. Ioh. I, 3.), quamvis in patre ipso unum idemque sit (Psalm XXXIII, 9. Ioh. I, 1.) [d]). Reliquae theologorum hac de re argumentationes atque ratiocinationes per arbitrium e sacris literis derivatae et elicitae esse videntur.

a) Sublimiorem Christi naturam qua fundamentum essentiae unam eandemque esse in N. T. cum verbo patris aeterno, quo mundus conditus est atque conseruatur, dubitatione caret (Ioh. I, 2. Col. I, 16 s. Hebr. I, 2 s.). Ἐξουσία autem huius λόγου, quam Christus ipse sibi vindicat (Matth. XI, 20. XXVIII, 18.), ubique est ἐξουσία φωτὸς (Ioh. I, 4. XII, 46.), ζωῆς (V, 26. 1 Ioh. I, 1.) et σωτηρίας (I, 12. III, 16. Luc. I, 77.), hoc est ἐξουσία σῶσαι πᾶν γένος τῶν ἀνθρώπων (Ioh. III, 15. XVII, 2.). Deus itaque in Christo conspicuus (2 Cor. V, 19.) est λόγος σωτήριος, vel σωτὴρ (Tit. II, 10.), hoc est ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς (Act. III, 15.) iam ad dextram Dei receptus (V, 31.). In hoc autem diuinae naturae consortio quum Christus ipse acquiescat (Ioh. V, 20 ss. X, 36. XIV, 6—9.), sufficit etiam nobis in ea subsistere (§. 78.).

b) Christum humano more e somno ad se rediisse expergefactum, in confesso est (Matth. VIII, 25.). Euigilabit autem nemo nisi sui suaeque personae conscius (2 Cor. XII, 3.). Videsis, num hoc conueniat in loca Ioh. III, 31. VI, 72. XVII, 5. παρά σοί.

c) *Physicam* adpellamus idealis, vel diuinae naturae communicationem (Col. I, 15. Apoc. III, 14. Ioh. I, 14.); *moralem*, qua inde a teneris non nisi diuina cogitauit suaque voluntate peregit (Luc. II, 49. Ioh. V, 19. XV, 10.), continua perfectionis incrementa ducens (Luc. II, 52. Hebr. II, 10.). Erat autem omnis vita Christi opus in Deo peractum (Ioh. III, 21.). Vide *Marheineke's* Grundlehren der christl. Dogmatik. Zweite Ausg. Berlin 1827. §. 238 ss.

d) Cfr. loca Matth. I, 21. XIV, 11. 1 Tim. I, 11.

§. 129.

De officio Christi, primum prophetico.

Finis incarnationis λόγου secundum literas sacras fuit redemtio hominum (Luc. I, 68. Ioh. III, 15 sq.), quam recentiores munere tripartito a Iesu *propheta, pontifice summo* et *rege* perfectam esse docent [a]. *Prophetico* enim, quod ei in libris sacris vindicatur (Luc. XIII, 33. XXIV, 19. Ioh. VI, 14. Act. III, 22.), officio ita functus esse dicitur, vt cum proponenda doctrina morali et euangelica (Matth. IV, 17. V—VII VI, 28 sq. Luc. XXIV, 47. Ioh. I, 17.), tum praedictione rerum futurarum contingentium (Matth. XXIV, 6 sq. XII, 40. XVII. 22. XX, 19. Luc. XIII, 32. Ioh. XIII, 36. XXI, 18.), tum miraculis patrandis (Ioh. IV, 48.), se legatum diuinum esse ostenderet (Ioh. V, 36.) [b]. Fuere quidem, qui vates Hebraeorum doctores tantum, ardore docendi instructos, fuisse [c], Iesum ipsum sapientiam suam ex humanis fontibus hausisse [d], vaticinia eius siue vniuersalia (Matth. XXIV, 34), siue post factum consignata [e], miracula Christi autem non vi absolute, sed mediate diuina perfecta esse [f] monerent. Neque tamen argumentis parum validis infringere vnquam potuerunt sententiam, *Iesum, qui tanta peregit docendo et factis admirandis a patre ad meliorem religionis doctrinam inter homines promouendam instructum fuisse* (Act. II, 22.).

a) Munus doctoris, vel propheticum, quo nostra

aetate omnem fere Christi prouinciam absolui putant, *Chemnitio* (loc. theol. I. p. 182 s. *de adpellationibus Christi*) et *Hüttero* adhuc incognitum erat, quare *I. A. Ernesti* de omni hoc loco tripartito ambigue disputauit (*opp. theol.* p. 411 ss.). Certum est tamen, Christum optime meruisse de omni genere humano *docendo* (Ioh. VIII, 32.), *viuendo* (X, 27—29.), et *moriendo* (ibid. 15 s.), qua partitione ad eundem locum redibimus.

b) *Calou.* l. c. p. 443 sq. *Gerhardi* loci III, 365 sq.

c) *Moshemii* dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes. Vol. II. p. 125 sq. *Koppii* excurs. III. ad epistol. ad Ephesios.

d) M. *biblische Theologie*, tom. II. p. 299 sq.

e) Ibid. p. 362 sq.

f) Ibid. p. 339 sq.

§. 150.

Deinde sacerdotali.

Aliam functionem obiisse dicitur Christus tanquam *summus pontifex* (Hebr. II, 17. IV, 14. VII, 26 sq.), qui se ipsum pro genere humano sacrificium obtulit (IX, 12. X, 10 sq.) et vi huius oblationis interpellatione sacerdotali ad salutem hominum apud patrem intercedit (V, 7. VII, 24 sq.). Reticeri tamen nequit, hanc dignitatem in saluatorem non nisi in epistola conferri, argumenti vbertate quidem insigni, sed imaginum Iudaicarum etiam plenissima (Hebr. V. 10 sq. VI, 19 sq. VIII, 2 sq. IX, 11 sq. 24 sq. XIII, 10 sq.); Iesum ipsum ad

sacrificuli et pontificis prouinciam tantum non adspirare, vt amorem Dei potius et obedientiam sacrificiis omnibus praeferat (Matth. IX, 13. Marc. XII, 33.); munus huius pontificis summi, qui *victima* simul, *aulaeum* et *ara* dicitur (Hebr. VII, 27. X, 20. XII, 24. XIII, 10.), adumbratione templi et Hierosolymae coelestis Iudaica niti (IX, 11 sq. XII, 22 sq.), ab apostolis longe antea repudiata (Actor. XVII, 24 sq.); in reliquis autem N. T. libris salutem hominum non a fide in Iesum, summum pontificem, sed Dei filium suspensam esse (Luc. I, 77. XXIV, 47. Ioh. XX, 31.). Satius itaque videtur, de sacrificio Iesu Christi in gratiam hominum oblato alio loco exponere.

Calou. l. c. p 499 sq. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 17 sq. *Schoettgen* de Hierosolyma coelesti in horis hebraicis, tom. I. p. 1205 sq. *Ziegler's* Einleitung in den Brief an die Hebräer. Göttingen 1791. p. 281 sq.

§. 131.

Et regio.

Regio denique *munere* fungi dicitur Iesus (Matth. II, 2.) ad dextram Dei exaltatus (Act. III, 21.), cui maiestatis diuinae haeres (Phil. II, 9. Hebr. I, 4.) adsidet (Act. II, 33.) atque interdum adstat (Act. VII, 56.) [a]). Spreta enim mundani imperii dignitate (Ioh. VI, 15. XVIII, 36), post reditum ad patrem summa potestate in terra coelo-

que instructus (Matth. XXVIII, 18. Ioh. XVII, 2. Col. I, 17. Hebr. I, 13. II, 8.) in ecclesia sua dominatur (Edhes. I, 22. V, 23), et electis gloriose imperat (Marc. XVI, 15 sq. Hebr. I, 3. Apoc. III, 21. XVII, 14. XXII, 5. Phil. III, 21.) [b]). Monuere quidem doctores, Iesum regis ipsiusque Christi titulum semper auersatum (Matth. XVI, 20) [c]) atque regnum eius spirituale esse, siue veri et virtutis rempublicam (Luc. XVII, 21. XXII, 25 sq. Matth. VI, 10.) [d]); sapientem cum in libris apocryphis (Sap. Salom. VI, 21.), tum a Stoicis regem adpellari [e]); Christianorum nomen haud doctrinae, sed sectae nomen esse (Act. XI, 26.) [f]); fore aliquando, vt regnum Christi aboleatur et in imperium diuinum abeat (1 Cor. XV, 24 sq.) [g]), et in ordine rerum, a numine ipso gubernato, rege vicario haud opus esse. At enimuero, si vel concedatur, in prophetae nomine totum opus seruatoris inesse, et officium regium a prophetico non nisi sono differre [h]); iuuat tamen cum literis sacris in Iesu Christo caput ecclesiae suae venerari (Eph. I, 22. IV, 15.), cui vel in statu subliniori collocato salus suorum curae sit (Ioh. XVII, 20 sq. Hebr. VII, 25.).

a) Hic enim locus est vnicus, quo Iesus υἱὸς θεοῦ πρὸς δεξιὰν τοῦ πατρὸς ἑστὼς adpellatur.

b) *Calon* l. c, p. 588 sq.

c) M *biblische Theologie*, t. II. p. 336 sq. *Des-Côtes* Schutz-Schrift für Iesum von Nazareth. Frankfurt 1797. p. 175.

d) *Melanchthon* de regno Christi: loc. theolog. p. 576 sq.

e) *Diogen.* Laert. in vita Zenonis, c. I. §. 64. *Stobaeus* eclog. phys. et ethic. lib. II. c. 7. ed. *Heeren*, p. 122. 206. 222.

f) *Lactant.* institut. diu. lib. IV. c. 7. *Heumann* de ortu nominis Christiani. Gottingae 1756. diss. recusa in primitiis Gottingensibus. *Buddeus* de origine et vsu nominis Christiani. Ienae 1711.

g) M. *biblische Theologie*, t. III. p. 8 sq.

h) Verba *I. A. Ernestii* in dissertatione, de officio Christi triplici: *opuscul. theolog.* Lipsiae 1773. p. 421.

§. 132.

De statu Christi, primum humili.

Post officia distinguunt etiam *statum* Iesu Christi *humilem* atque *sublimem.* Humilem, vel *exinanitionis* statum (Phil. II, 7.) eam vocant Iesu conditionem, qua, relicta diuinitatis gloria (Ioh. XVII, 5), ad humanam sortem descendit, officio suo in forma seruili ad mortem vsque defunctus (Hebr. V, 7) [a]. Docent enim, filium Dei carne indutum se ipsum *primum* dignitate coelesti exuisse [b]; *deinde* formam seruilem adoptauisse (Phil. II, 7. Rom. VIII, 3. Hebr. II, 14); *postremum* suscepta prouincia ad mortem vsque obedienter functum esse (Phil. II, 8. Ioh. XIX, 30) [c]. Cui quidem doctrinae mere biblicae haud sine pietatis emolumento adsentientur omnes, quibus libros

sacros non de ideali, vel allegorica, sed vera Iesu προϋπάρξει verba facere, persuasum est [d]).

a) Form. Concord. p. 608 sq. *Gerhard* III, 360 sq. *Calou.* l. c. pag. 614 sq.

b) Κενώσει, non κρύψει: vid. *Walch's* Einleitung in die Religionsstreitigkeiten innerhalb der Lutherischen Kirche, t. I. p. 206 sq. IV, 551 sq.

c) Alii quinque gradus exinanitionis distinguunt: *natiuitatem*, *vitam miseram*, *passionem*, *mortem*, *sepulturam* (*Heilmann* de humili Christi infantia, in opusc. t. II. p. 501 ss.). Sed haec omnia ab arbitrio doctoris pendent; conf. *symbolum apostolicum* art. 2. et Catechismum Romanum art. III, c. 4.

d) Cauebit tamen sanus quisque, ne hoc loco vel meris coniecturis indulgeat (v. c. Iesum eleemosyna et stipe vixisse Marc. XV, 40. atque neruis laborauisse III, 21.), vel ad curiosas quaestiones descendat (*Einige Gedanken, warum hat unser hochgelobter Herr und Heiland I. C. nicht geheirathet?* Schneeberg 1815.). Habet certe sponsam (Ephes. V, 27—32.) atque sobolem spiritualem (Ioh. I, 12.); vltra euangelia autem sapere velle, theologi Christiani non est.

§. 133.

Deinde sublimi.

Humilitatem Christi secutus est status *exaltationis* (Phil. II, 9.), vel ea Iesu de mortuis suscitati conditio, qua post exantlatos terrae labores ad imperium gloriosum coeli euectus est. Distin-

guunt *descensum Christi ad inferos* (Ephes. IV, 9. 1 Petr. III, 19 sq.) [a]), quo victor mortis de daemonibus et damnatis triumphum egit [b]); *resurrectionem de mortuis* (Matth. XXVIII, 6.), qua eum, corpore eodem quidem, sed dotibus admirandis instructo, de sepulcro prodiisse volunt [c]); *adscensionem in coelum* (Marc. XVI, 19. Luc. XXIV, 51. Act. I, 9.), qua ratione visibili ad nubes vsque, deinde modo inuisibili ad sedes coelestes euectus; *sessionem ad dextram Dei* (Act. II, 33 sq. III, 21. Phil. II, 9. Hebr. VII, 26.), qua idem cum patre imperium in res creatas nactus esse dicitur; et *reditum ad iudicium de viuis et mortuis* (Matth. XVI, 27. XXV, 31 sq. 1 Thess. IV, 14) ferendum. His autem doctrinis, auctoritate biblica satis munitis, hoc tantum addere iuuat: descensum Christi ad inferos e notionibus Iudaicis ipsaque Petri declaratione (1 ep. IV, 6.) facile explicandum [d]), vel a libris nostris symbolicis haud vrgeri [e]); de dotibus corporis Christi singularibus post resurrectionem e libris sacris non constare (Luc. XXIV, 42 sq. Ioh. XXI, 13 sq.); separationem Christi a discipulis eius aliter a Marco et Luca tradi [f]); dextram Dei, quae formula Messiana est (Psalm CX, 1.), e mente Lutheri vbicunque esse [g]); et iudicium Messianum, de quo infra expositƲri sumus, a Iesu ipso duplici ratione illustrari (Ioh. III, 18 sq. V, 21 sq.). Quae omnia non nisi propterea monentur, vt adpareat, omnem a simplici narratione librorum sacrorum discessionem

hic esse periculosam atque certos pietatis fructus intercipere.

a) *Tamdiu mansit apud inferos, quamdiu corpus eius fuit in sepulcro.* Catech. Rom. art. V, c. 6. accommodate ad mentem Petri. Eadem *Tertullianus* docet *de anima*, c. LV.

b) Symb. apostol. art. 2. *Lutheri* opp. ed. Walch. tom. X. p. 1354 sq. *Formula concordiae* art. IX. Epitome articulorum, de quibus controuersiae ortae sunt cet. p. 613. *Gerhard.* III. 362 sq.

c) *Inuisibilitate, impalpabilitate, illocalitate. Calou.* l. c. p. 697. Vide comment. nostram *de vera Iesu Christi publice fato functi reuiuiscentia.* Erlangae 1808. Nostris temporibus, quibus suprema Christi fata identidem cum *Thespesii Solensis* ἀναβιώσει δευτεροπότμῳ (*Plutarchus* de sera numinis vindicta: opp. VIII, 229 ss. edit. Reiskii) comparantur, in verae resurrectionis vindicatione (Matth. XXVII, 50. Act. II, 23 s. 1 Petr. III, 18.) merito acquiescimus.

d) *Pottii* excurs. ad 1 Petr. III, 19.: de descensu Christi ad inferos. *Dietelmaieri* historia dogmatis de descensu Christi ad inferos. Altdorf. 1762. ed. 2. *Hackeri* dissert. de descensu Christi ad inferos. Dresdae 1802.

e) *Formul. Concord.* pag. 613. *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. V. p. I. pag. 251 sq.

f) Vid. commentatio nostra: *historia adscensus Christi in coelum biblica*, in opusc. nou. theolog. Gotting. 1803 et quae contra monita sunt in *Flattii* Magazin für christliche Dogmatik und Moral,

St. VIII. pag. 55 sq. Egregie iam *Plutarchus* praecipit de Romuli apotheosi: ἀπογνῶναι μὲν οὖν παντάπασι τὴν θειότητα τῆς ἀρετῆς, ἀνόσιον· οὐρανῷ τὲ μιγνύειν γῆν, ἀβέλτερον. *Romulus* c. XXVIII. opp. I, 141 s.

g) Vid. supra §. 60. not. *d.* *Calou.* tom. VII. pag. 716 sq.

SECTIO II.

DE

MODO SALVTIS PER CHRISTVM CONSEQVENDAE.

PARTITIO I.

DE

VOCATIONE ET PRAEDESTINATIONE.

---

§. 134.

Indroductio: doctrina de vocatione biblica et ecclesiastica.

Has omnes humanae sortis vicissitudines expertus est Iesus Christus, ut hominibus pararet salutem (§ 121 s.), cuius hic est ordo, *vt vocati credamus, credentes coram Deo insontes et iusti habeamur, iusti autem declarati ad maiorem in dies vitae sanctitatem progrediamur*

2 Tim. I, 9. Ioh. III, 15 sq. Rom III, 28. 1 Petr. I, 15 sq.). *Vocationem* nimirum adpellant *libri sacri* inuitationem hominum ad salutem virtute euangelica parandam (Marc. II, 17. Rom. I, 6. 2 Petr. I, 10.); quare religionem Christianam ipsam interdum κλήσεως nomine insigniunt (Ephes. IV, 1—4). Ad hanc salutem Deus ipse inuitat per Iesum Christum (1 Cor. I, 9. 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 15. V, 10.) omnes homines excepto nemine (Matth. XXVII, 19. 1 Tim. II, 3. 2 Petr. III, 9) [a]). Quapropter in *ecclesia* docent, vocationem esse *actionem spiritus sancti* (2 Cor. III, 6), *qua homines inuitat ad beneficia a Christo parta per fidem consequenda* (Ioh. III, 15. 1 Thess. II, 12.) Vocari quidem homines *indirecte* iam per rationem (Act. XVII, 27. Rom. I, 19. II, 14.); *directe* autem reuelatione, tum legis (Gal. III, 24.), tum euangelii (Ioh. III, 5. 1 Cor. III, 5. 2 Thess. II, 14.). Hanc vocationem toti humano generi innotuisse volunt (Ezech. XXXIII, 11. Marc. XVI, 15. 20. 1 Tim. II, 4. Rom. X, 18. Col. I, 23. 2 Petr. III, 9.); quare, qui gratia excidunt, suamet ipsorum culpa perire dicuntur (Matth. XX, 16. XXII, 14. Act. XIII, 46.) [b]).

a) *Eckermann's* theologische Beiträge, tom. II, p. I. pag. 57 sq. *Dessen* Handbuch, IV, 431 sq. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 164 sq.

b) *Gerhard.* IV, 185 sq. *Calou.* tom. VIII, 168 ss. X, p. 1 sq. *Quenstedt* theologia didactico-polemica. Lipsiae 1715. tom. II. p. 662 sq. inprimis,

p. 675. De apostolis vel in Americam penetrantibus vide disserentem *Fabricium* in salutari luce euangelii toti orbi per diuinam gratiam exoriente. Hamburg 1731. in 4. pag. 763 sq. et ante eum Herm. *Witsium* miscellan. sacr. Traiecti 1700. tom. II. p. 400 sq.

§. 155.

Dubitationes de vocationis vniuersalitate illustratae.

Hanc autem vocationem hominum ad salutis per Iesum Christum partae fructum, quamuis in N. T. ita vniuersalis fuisse doceatur, vt in Iesum non credentes a felicitate sempiterna secludantur (Marc. XVI, 16. Act. IV, 12.), ad omnes tamen terrarum gentes peruenisse, multi fuerunt, qui negarent atque pernegarent [a]). Prouocant enim *cum* ad testimonia scripturae sacrae, quibus multos populos sibi ipsis relictos fuisse efficitur (Ps. CXLVII, 19 sq. Act. XIV, 16. XVII, 30.); *tum* ad loca, quae multos, non omnes vocatos esse docent (Matth. XX, 16. XXII, 14.); *tum* ad paucitatem apostolorum, qui propter linguarum ignorantiam (Act. XIV, 11.) ne Asiae quidem regiones omnes peragrare poterant (Act. XVI, 7.); *tum* ad Americae et Polynesiae incolas euangelii cognitionis plane expertes. Responderi tamen potest, fidem Christianam historicam iis tantum commendari (Marc. XVI, 16. Ioh. VI, 40. Act. IV, 12.), qui Messia se carere posse non crediderant; fore

autem auctore Paulo (1 Cor. XV, 24), vt regnum Messianum aliquando in regnum mere diuinum, vel coeleste abeat; veram huius regni sedem non in antiqua Christianorum historia, sed in mentibus hominum quaerendam (Luc. XVII, 21); rationis, officii et conscientiae vocem vbique locorum vnam eandemque esse (Rom. II, 12 sq.); proptereaque Iesum ipsum cum apostolis de proborum gentilium aliorumque populorum salute non dubitauisse (Matth. XII, 42. Luc. XIII, 29. Act. X, 34. Rom. II, 26.); ultimo loco autem spem ali, fore, ut sensim omnes terrarum orbis ad veram Christi cognitionem perueniat (Ioh. X, 16. Rom. XI, 25 s. Quae omnia testantur abunde, vnitatem sapientiae, religionis et salutis, ideoque vocationem vniuersalem vel in subsidiorum fidei externae historicorum diuersitate locum habere posse [b]), vel maxime si salutem praecipuam, quam Deus Christianis per Iesum concessit,, a felicitate separaueris, quam omni generi humano fidei et virtuti conuenienter decreuisse existimandus est [c]).

a) E patribus *Origenes* (tract. 28. in Matthaeum) et *Augustinus* (epist 89. ad Hesych.). Vide *Eberhard's.* Apologie des Socrates, tom. I. p. 195 sq. et *Stäudlin's* kirchl. Geographie, t. II. p. 712 sq.

b) Vid. supra §. 18. not. *a.*

c) *Reinhard's* Dogmatik, §. 116. fin. *Curcellaeus* de necessitate cognitionis Christi ad salutem, in quaternione dissertatt. theolog. Amstelod. 1659. pag. 356 ss.

§. 156.

Doctrina biblica de praedestinatione.

Pugnare tamen videtur cum hac voluntate Dei hominibus cunctis propitia decretum aliud (*προορισμὸς* Rom. VIII, 30.), quo iam ante secula nonnullos saluti, alios perniciei sempiternae destinauisse dicitur [a]). Docent nimirum literae sacrae, Deum Israëlitas, Christianosque iam ab aeterno elegisse (Deut. VII, 6—8. Matth. XXV, 34. Luc. X, 20. Ioh. VI, 44. X, 26. XV, 16. Act. XIII, 48. Rom. VIII, 29 sq. Ephes. I, 4 sq. II, 8 sq. Phil. IV, 3. 2 Tim. II, 19. 2 Thess. II, 13 sq. 1 Petr. I, 2); alios contra obduratos et a virtute quasi auulsos reprobauisse (Exod. IV, 21. VII, 3. Ies. VI, 10 sq. Matth. XIII, 14 sq. Rom. IX, 15—22. 1 Petr. II, 8. Iud. 4.) [b]). Quae quidem sententia, posterior imprimis, quamuis secundum literam intellecta satis dura videri queat, emollitur tamen cum odii erga gentiles obseruatione, cui scriptores Iudaeorum interdum indulsisse putantur (Ies. LXVI, 24. Ioel. III, 12. Malach. IV, 1. Iudith. XVI, 20 sq.) [c]); tum admonitionum ad salutem virtute parandam copia, quibus liberum hominis arbitrium sexcentis in locis confirmant (Ies. I, 16 sq. Matth. IV, 17. Ephes. VI, 10 sq. Rom. XII, 1 sq.); tum testimoniis disertis, quibus miserum peccatoris statum Deo curae esse contendunt (Ezech. XVIII, 21. Matth. IX, 13. Marc. II, 17. Luc. XV, 10. Act. XXVI, 18. 1 Tim. II, 4. 1 Thess. V, 9).

Cauendum itaque est summopere, ne Deo optimo maximo (§. 66.) voluntatem tyranni absolutam (Rom. IX, 15.) tribuamus, qua omnes sapientiae et pietatis scintillae in mente humana extinguuntur [d]).

a) *Beza* saltem in sua N. T. editione ad Rom. IX, 6. scribere ausus est: *nihil ineptius est, quam vniuersalem electionem statuere.*

b) Fati vis est, ad quam prouocare solet prisci aeui simplicitas, v. c. *Homerus* in describenda Achillis et Agamemnonis ira (Ζεῦς καὶ Μοῖρα καὶ Ἐριννὺς — φρεσὶν ἔμβαλεν ἄγριον ἄτην. Iliad. XIX, 87); *Quintus Smyrnaeus* in repetenda Troianorum caecitate, omina vrbis euertendae non capientium (Κῆρες γὰρ πάντων νοῦν ἔκβαλον, XII, 523 s.).

c) Minori certe generis humani odio flagrat *Muhamedus* Coran. Sur. II, 62. *Iudaei, Christiani et Sabaitae, si in Deum crediderint et diem nouissimum, rectumque fecerint, mercedem habebunt apud dominum suum sine tristitia et timore.* Hunc autem, non fidei dico et amoris, sed humanitatis sensum vtinam omnes Christianorum ecclesiae spirarent!

d) Id, quod fecit *Augustinus*, qui de praedestinatione multa durissime scripsit. Contendit enim: *voluntatem hominis sequi gratiam Dei; duas autem esse hominum societates, alteram malorum, quos praedestinauerit ad supplicium aeternum, alteram bonorum, quos praedestinauerit ad regnum aeternum;* de ciuitate Dei lib. XV. c. 11. *Praedestinationem bonorum e gratuita misericordia, malorum e iustitia diuina pendere:* enchirid. ad Laurentium c. 97 sq. *Et isto numero electorum*

et praedestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad poenitentiam; contra Iulian. Pelagian. lib. V. c. 3. Conf. et *Praedestinatum* (edit. *Sirmondi.* Paris. 1643.) certaminibus literariis satis celebrem, cum *Sirmondi* historia praedestinatianismi (Par. 1648.) et *Walchii* Historie der Ketzereien, tom. V. p. 366 sq. Excusauit tamen, quoad eius fieri potuit, Augustinum *Chemnitius* loc. theol. I, 416 sq. Propugnatae de *decreto absoluto* per *Petrum Lombardum* et *Thomam Aquinatem* sententiae primum ipse accessit *Lutherus* in libro de arbitrio seruo (Vitembergae 1525. in 8.), et post illum *Caluinus*, qui *non Deum elegisse quosdam* docet, *quia praeuidit, illos futuros esse sanctos, sed sanctos factos esse, quia elegit illos* (instit. rel. Christ. lib. III. c. 21.). Adstipulatur *conf. Belgica* art. 16. et *synod. Dordrac.* can. 6. Vide *Gerhardum* loc. theol. IV, 222. 237. *Episcopii* institut. theol. lib. IV, sect. 5. cap. 5 sq. atque de *supralapsariis* et *infralapsariis* *Walch's* Einleitung in die Geschichte der Religionsstreitigkeiten aufser der Lutherischen Kirche, tom. I, 451. III, 718 sq.

§. 137.

Doctrina ecclesiastica de electione et reprobatione.

Hos itaque scopulos vt praeteruehantur, docent in ecclesia nostra: *errare scholasticos, qui praedestinationem esse putant praeordinationem creaturae rationalis ad gratiam in praesenti et gloriam in futuro; praescientiam Dei*

enim a praedestinatione ante omnia distinguendam esse. Praedestinationem, vel electionem esse actum Dei, quo hominem peccatorem quemuis per fidem in Christum emendatum ad vitam aeternam ante secula praeordinauit (Ephes. I, 4. Rom. VIII, 30.), *idque ex mera gratia propter meritum Christi* (Ephes. I, 11. II, 4 sq. III, 11.) *fidemque finalem. Reprobationem* contra esse *actum Dei aeternum, quo hominem propter meritum Christi sponte reiectum, non autem ex decreto absoluto,* quod *funem desperationis* adpellant, *mortis aeternae damnabit* (Matth. XXV, 41. Rom. II, 5). *In vtraque, cum electione, tum reprobatione, neque ad rationem humanam, neque ad legem Mosaicam, sed ad reuelatam Dei voluntatem respiciendum esse, qua docemur, Deum sub conditione fidei omnium hominum salutem velle* (Ezech. XVIII, 32. Rom. XI, 32. 1 Ioh. II, 2.); *quapropter e libera cuiusuis voluntate pendere, vtrum vocationem suam fide firmam reddere velit, nec ne* (2 Petr. I, 10.)? Quae quidem, si a praescientiae et praedestinationis discrimine in libris N. T. non satis firmato (Rom. VIII, 30. XI, 2.) [a]), et a morte peccatoris aeterna discesseris, atque fidem in Christum, quae salutis vnica conditio ponitur, curatius explicueris (1 Thess. V, 9.), tam sapienter constituta sunt, vt ea mente lubentissima amplectamur [b]).

a) Obseruari enim debet in antecessum, *praedestinationem*, quae in LL. SS. iusto pressius ad solam *electionem* reuocatur, vel apud Augustinum simul complecti *reprobationem*; neque etiam per rei naturam, notione vtriusque rite constituta, vna ab altera separari posse videtur.

b) *Formula Concord.* p. 617 sq. 797 sq. *Gerhardus*, tom. IV, 215 sq. *Calou.* tom. IX. pag. 607 sq. *Quenstedt*, tom. II. p. 22 sq. *Episc.* l. c. p. 414. *Flatt's* Magazin für christl. Dogmatik und Moral, part. 1. pag. 201 sq. *Stäudlin's* Beiträge zur Geschichte etc. t. III. p. 194 sq. *Kant's* Vorlesungen über die philosoph. Religionslehre. Leipzig 1817. p. 197 s. *Schleiermacher* über die Lehre von der Erwählung, in der theolog. Zeitschrift von *ihm, de Wette* und *Lücke*. Berl. 1819. Heft I. S. 1 — 119. M. Abhandlung *über die Folgerichtigkeit des evangelischen Lehrbegriffes von der sittlichen Unvollkommenheit des Menschen und seiner Erwählung zur Seligkeit*, in m. Magazin für christliche Prediger. Hannover 1820. B. IV. St. 2. p. 1 — 48.

PARTITIO II.

DE FIDE.

§. 138.

Fidei notio biblica.

Altera (§. 134.) salutis per Christum consequendae conditio est *fides* (Ioh. III, 15 s.), quae

adpellatur *firma persuasio de iis, quae experientia et sensibus non ipsi cognita habemus* (Hebr. XI, 1.). Distinguitur ratione *formae* in *fidem auctoritatis* (*informem*), quae in alieno testimonio adquiescit (Sirac. XIX, 4 sq. Luc. XVI, 31. XXIV, 25. Ioh. XII, 44.), siue *priuato*, siue *publico* totius ecclesiae [a]); et in fidem liberae *persuasionis* et *meditationis* (*formatam, liberam*) quae argumentis internis nititur (Marc. I, 15. Ioh. V, 24. XII, 36.). Ratione *argumenti* autem diuiditur in *historicam*, quae circa factum versatur externum (Ioh. XX, 25.), et *rationalem*, in specie *fidem religionis*, quae ad Deum summi boni largitorem spectat (Ion. III, 5. Marc. XI, 22. Hebr. XI, 6.); cuius consectarium est *fiducia* (πεποίθησις), sive status animi ex adsensu originem ducens (Gen. XV, 6. 2 Cor. III, 4. Ephes. III, 12. Hebr. III, 6. X, 35.). Peccant itaque, qui fidei et fiduciae notiones inter se commiscent [b]).

a) *Catechismus Romanus* p. I. c. 1. de fide et symbolo.

b) Conf. *Melanchthon* de vocabulo fidei in loc. theolog. p. 425 sq. quo loco recte scribit: *fiducia est motus in voluntate, necessario respondens adsensioni.* Consentiunt *Chemnit.* II, 676 sq. *Gerhard.* VII, 73 sq. Aliter *Töllner* in den theologischen Untersuchungen, tom. I. part. I. p. 112 sq. conf. *Storr's* Dogmatik von *Flatt*, p. 758 sq.

§. 139.

Doctrina biblica de fide.

Fidem auctoritatis, tanquam salutis adipiscendae conditionem, a Iesu saepius posci, negari nequit (Ioh. III, 15. V, 38. 40. 47. XI, 25 sq.); hanc tamen fidem adsensum caecum (fidem informem, implicitam) neutiquam esse debere, tum ex aliis N. T. locis (Matth. VII, 22—27. Ioh. VII, 17. 1 Thess. V, 21. 1 Ioh. IV, 1.), tum ex additamento patet, quo docet, fidem sibi consecratam mox in fidem erga Deum abituram esse (Ioh. V, 24. 38. XII, 44 sq. Hebr. IV, 2.). *Fides rationalis* autem in Deum, quae libera meditatione nititur, ceu verus et vnicus virtutis et salutis ei adiunctae fons in N. T. monstratur (Hebr. XI, 6. Rom. XIV, 23. Gal. V, 6. Iacob. II, 14 sq.); inprimis *fides mixta,* seu adsensus Iesu, Dei filio et doctrinae eius datus (Ioh. I, 12. Act. VIII, 37. XIII, 39. Rom. I, 26. III, 22. 1 Ioh. III, 23.). *Incredulitatem* contra auctores sacri vbique tanquam vitiositatis et miseriae humanae fontem describunt (Matth. XVII, 17. Rom. II, 8. Ephes. II, 2. V, 6. Tit. I, 15) [a]). Cauendum tamen est summopere, ne ea, qua libri sacri de *incredulitate morali* (1 Cor. II, 14.) docent, ad ἀπιστίαν, vel ἐποχὴν *historicam* trahantur, quae interdum, ab argumentis idoneis profecta, cum veritatis et virtutis amore felicissime conspirat [b]).

a) *Flatt's* Magazin für Dogmatik und Moral, part.

I. p. 348 sq. *Kant's* Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft, p. 233 sq. *Schmid* über christliche Religion, p. 348 sq. *Der Unglaube in seiner wahren Gestalt*, in m. Predigten zur Beförderung eines moralischen Christenthums, tom. III. Erlangen 1802. p. 253 sq.

b) Recte hoc sensu *Epicharmus* apud *Ciceronem* (epist. ad Atticum I, 19.): νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

§. 140.

Doctrina ecclesiastica de fide.

His autem similibusque locis innixi docuerunt in ecclesia: *fidem* in vniuersum *esse persuasionem de iis, quae non videntur, adeo firmam, vt spei nostrae fiat fundamentum* (Hebr. XI, 1). *Fidem in Christum* (Ioh. III, 15.) autem esse *habitum intellectus et voluntatis ad se applicandi ea, quae in libris sacris de Christo reuelata sunt. Partes* huius *fidei* esse *notitiam credendorum de Christo et merito eius, non implicitam, sed explicitam* (Ioh. VI, 69. XVIII, 3.); *adsensum, seu iudicium de veritate eorum, quae libri sacri de munere Christi docent* (Ioh. III, 33. Actor. VIII, 37.); *fiduciam denique, siue actum voluntatis, quo in Christo mediatore adquiescit, in illoque*, hoc est, *in morte eius expiatoria, spem veniae et sempiternae felicitatis reponit* (Rom. III, 24. Ephes. III, 12.). *Causam fidei principalem esse Deum*

trinunum (Rom. I, 8. Col. I, 3 sq.); *instrumentalem euangelium* (Gal. III, 2. 5.); *finem, iustificationem hominum et salutem aeternam* (Rom. III, 28. Ioh. XX, 31.).

Lutheri opp. tom. XXII. p. 706 sq. qui locus summam continet eorum, quae varie et multis modis disputauerat vir egregius de fide. *Apolog. conf. August.* p. 68 sq. *Chemnit.* loc. II, 654 sq. *Gerhard.* VII, 165 sq. *Calou.* tom. X. pag. 301 sq. *Quenstedt* tom. II. p. 789 sq. *Reinhard's* Dogmatik, ed. 2. p. 507 sq.

§. 141.

Obseruationes criticae.

Desideramus autem in hac doctrina vniuersa *primum* aptam expositionem discriminis inter *scientiam* (ἐπιστήμην), *fidem* (πίστιν) et *opinionem* (εἰκασίαν, vel ὑπόληψιν) atque superstitionem intercedentis, quod ex nostra quidem sententia in eo situm est, vt ea, quae scimus, experiendo percipiamus, quae credimus et speramus, sola et vera (Rom. VIII, 24), quae opinamur autem, nulla, vel speciosa tantum ratione concludamus [a]). Vera et solida fides theologica non, nisi profundis perpetuisque meditationibus de rebus diuinis suscipi, ali et foueri potest (1 Cor. II, 14.) ipsamque scientiam firmitate persuasionis rationali superat [b]). Reuerenda itaque est quam maxime *fides externa*, quae auctoritate Iesu Christi diuina nititur [c]), ita

tamen, vt sensim in *fidem religionis internam,* quae Deum, sapientiae et bonitatis exemplum summum, animo imitandum proponit (Matth. V, 48. 1 Petr. I, 15 sq.), resoluatur (Ioh. XII, 36. 44.), a filio ad patrem adscendat, et a patre ad filium redeat (Ioh. XIV, 1.). Neque enim syllabarum tendiculis, vel inani verborum aucupio, sed veritate et spiritu, qui hominem internum pascit et ab opinionum commentis liberat (Ioh. VI, 63. VIII, 32 sq. 2 Cor. III, 17), fides Christianorum absoluitur, quae lucem non fugit, sed quaerit (Ioh. III, 20.), vt opera gignat veritati congrua (v. 21.)[d].

a) *Scientia* (das Wissen) nobis est firma persuasio oritura e relatione (Beziehung) immediata cogitationis ad rem obiectam. *Fides* est certa persuasio de veritate eorum, quae sensuum regionem excedunt quidem, tamen propter argumenta, quae cogunt interne, animo sistuntur cogitando tanquam existentia. *Opinio* denique est persuasio de veritate eorum, quae tantum imaginando et hariolando concipiuntur. In longe alia abit *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 845. coll. *Mellini* lexico phil. crit. II. 681 sq. III, 14 sq.

b) Κυριώτερον τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις καὶ ἔστιν αὐτῆς κριτήριον. *Clemens* Alexandr. strom. l. II. pag. 365. ed. Colon. Vide librum nostrum: *Ausführlicher Unterricht in der christlichen Glaubenslehre*, t. I. p. 258 sq.

c) Meditationes tamen mere historicae in ipsa theologia positiua semper aliquid dubitationis relinquunt. *Neque enim*, vt *Heynius* monet egregie, *si subtiliore iudicio vtaris*, *vlla firmitas satis*

idonea inest argumento, quod vulgo adfertur, per totam antiquitatem aliquid creditum esse; videndum enim est primo loco, sitne recte creditum (ad Homeri Iliad. t. VIII. Lips. 1802. p. 771.)? Recti autem regula rationi inest, non historiae. Mirari itaque haud subit, vel *Lutherum* (l. c. p. 753 sq.) saepius de fidei suae infirmitate conquestum esse. At enimuero secutus erat vel in hac doctrina vestigia *Augustini* sui, qui, praeter historicam, fidem nouerat nullam: *quod credimus*, docet, *debemus auctoritati*, *quod intelligimus*, *rationi*. De ordine lib. II. c. 5. Cf. *Buddei* diss. de fide naturali, in miscellan. sacris, p. II. p. 313 ss.

d) Vid. comment. m. *quale insit in auctoritate veri praesidium?* in opusc. theolog. Erlang. 1793 et *Spalding:* die Religion eine Angelegenheit des Menschen. Leipzig 1797. p. 168 sq.

§. 142.

Nexus fidei cum salute hominum.

Restat adhuc, vt de vinculo exponamus, quo fides cum salute hominum coniuncta est (Rom. I, 16.), Patet autem, fide in Deum et filium eius (Ioh. XVII, 3.) causarum naturalium indaginem limitibus debitis circumscribi ad veritatem inueniendam et figendam; voluntati virtutis perfectissimae exemplum repraesentari per omnem vitae cursum pietate ardentissima imitandum (Luc. VI, 36. Matth. V, 48); doctrinae moralis praecepta, de quibus ii, qui inter homines dicuntur sapientes,

aegerrime consentiunt [a]), legati coelestis auctoritate confirmari (Ioh. VI, 29. XII, 45.); animum ad ordinis rerum moralis, cui impliciti sumus (§. 118.), contemplationem et admirationem, ad spem et fiduciam mediis in calamitatibus excitari atque erigi (Rom. VIII, 31 sq.); certamque vitae melioris et aeternae iustaeque retributionis persuasionem mentibus instillari (Matth. XXII, 32. Ioh. XI, 25. Rom. II, 6.). Quae omnia si iusta lance ponderantur, vim addunt sententiae, a vera fide omnem sapientiam, virtutem et felicitatem hominum internam pendere (Rom. I, 17. XV, 13. 1 Ioh. V, 4.).

a) *Garve's* Uebersicht der Principien der Sittenlehre von Aristoteles bis auf unsere Zeiten. Breslau 1798. *Meiner's* allgemeine kritische Geschichte der Ethik. Th. I. II. Götting. 1800. Adde *Schleiermacher's* Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre. Berlin 1803.

PARTITIO III.

DE RECONCILIATIONE HOMINVM CVM DEO ET IVSTIFICATIONE.

---

§. 143.

Remissionis peccatorum notio biblica.

Tertia salutis per Christum obtinendae *conditio* (§. 134.) est, vt *fide cum Deo reconciliati*

insontes et iusti habeamur, hoc est, vt per Christum *veniam* peccatorum gratuitam atque *spem* vitae aeternae obtineamus. Est autem *venia*, vel *remissio peccati*, quod et *tegi*, *auferri*, *condonari* (Exod. XXX, 10. Levit. IV, 10. Psalm XXXII, 1.) dicitur, *actus beneuolentiae*, ad munificentiam publicam (Levit. XXV, 10. Deut. XV, 1.), vel priuatam creditoris debitori lento propitii (Matth. VI, 12), adumbratus, *quo poenam sceleris meritam praetermitti significatur* (Col. II, 13) [a]). Peccata Israëlitarum ex constitutione Mosaica remittebantur interueniente victima piaculari (Levit. IV, 3 sq.), in cuius caput poenas peccatoris deuouere solebant (v. 15—20.) [b]). Quae quidem symbolica et vicaria quasi peccata expiandi ratio, quamuis Dauidi et prophetis neutiquam placuisse videatur (Psalm XXXII, 1—5. XL, 7 sq. Ezech. XVIII, 21. 28. Micha VII, 18 sq.), rediit tamen in celeberrima allegoria post exilium Babylonicum (Ies. LIII, 5.) [c]); etiam in sacros inde N. T. libros immigrauit. Ea enim ipsa peccatorum condonatio, quam Iesus precibus obtinendam esse docet (Mattfi. VI, 14 sq.), aliis locis sanguini et morti Christi vindicatur (Matth. XXVI. 28.), adeo, vt varios doctrinae typos hac de re in libris sacris obuios summa cura distinguere debeamus.

a) *Vitringae* commentatio de peccatorum remissione in obseruationibus sacris, tom. I. p. 909 sq. *Flatt's* Magazin für christliche Dogmatik und Moral, p. III. pag. 139 sq.

b) *Bauer's* Beschreibung der gottesdienstl. Verfassung der alten Hebräer. Leipz. 1805. B. I. p. 139 sq.

c) M. *biblische Theologie*, tom. II. p. 131 sq.

§. 144.

Doctrina biblica de causis, quare Deus hominibus peccata remittat.

Praeiuerant nimirum, vt cummaxime memorauimus (§. 143.), libri V. T. sententiam, Deum peccatori *primum* propter reditum ad mentem meliorem flagitiorum poenas remittere (Psalm. XXXII, 4. Ies. I, 16—19. XLIII, 25. LV, 7. Ierem. XXXI, 34. XXXIII, 8. Dan. IV, 24.). Eadem ratione Ioannes baptista (Matth. III, 8. Marc. I, 4) [a]), et Iesus ipse (Matth. IV, 17. IX, 2. 22. Marc. II, 5, V, 34. XII, 33. Luc. VII, 47. Ioh. VIII, 11. Luc. XXIV, 47.) cum apostolis (Act. III, 19. XXII, 16. XXVI, 18. Hebr. X, 18.) fidem et resipiscentiam, tanquam vnicam condonationis peccatorum conditionem, ab auditoribus poscunt. *Postea*, quum vitae exitum adesse sentiret doctor diuinus, mortem suam, quam se pro veritate alias et in gratiam suorum subire docet (Ioh. X, 15. XVII, 19 sq. 1 Tim. VI, 13.), cum sacrificio piaculari (Matth. XX, 28.) et peccatoris poenas onere vicario ferente (Ioh. I, 29.) comparat, atque hanc etiam comparationem apostoli et doctores agmine longo secuti sunt. Docet enim *Paulus*, Iesum a patre ipso morti, vt victimam piacularem, de-

stinatum fuisse (Rom. III, 24 sq. V, 8—10. 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. Ephes. I, 7. V, 2. Col. I, 20. 1 Tim. II, 5.); *Petrus* eum agnum purum et immaculatum adpellat (1 Ep. I, 18 sq. II, 24.); *Ioannes* sanguine eius peccata mundi ablui testatur (1 Ep. I, 7. II, 2.); epistolae ad *Hebraeos* auctor omnia, quae ad sacrificia pro peccatis oblata pertinent, a Iesu in templo coelesti peragi scribit (IV, 14 sq. VI, 20. VII, 27. VIII, 1 sq. IX, 13 sq. X, 1—10.) [b]). Neque tamen dissimulant auctores sacri, hanc mortis Iesu Christi vim expiatoriam inprimis ad peccata contra legem Mosaicam referendam, veroque nouae religionis discipulo victima qualicunque non amplius opus esse (Rom. V, 8. VI, 10. Col. I, 22. Hebr. IX, 28.) [c]). Ioannes tantum loco unico (1 ep. II. II, 1 sq.) peccatis Christianorum futuris a Christo tum deprecando, tum expiando vel in coelis prospici auxiliumque parari docet, quae sententia apostoli etiam aliis locis (Ioh. I, 29. III, 14 s. 1 Ioh. I, 7. Hebr. IX, 12—14) confirmatur.

a) Conueniunt, quae *Iosephus* testatur de doctrina *Ioannis* baptistae (antiquit. lib. XVIII. c. 5. §. 3.): *Deo acceptum iri lauacrum, eum eo non ad expiationem criminum vterentur, sed ad corporis munditiem*, τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκαθαρμένης. Etiam apud Iudaeos victimae piaculares non proficiebant, nisi resipiscenti: poenitentia enim apud eos omnes expiat transgressiones, התשובה מכפרת על כל העבירות. *Maimonides* de poe-

nitentia, c. I. §. 5. Oxonii 1705. p. 43. Quare merito reprehenduntur, qui animo ad verum nondum erecto omne doctoris Christiani officium ad sacrificuli munus cruentum reuocare conantur.

b) Nota inprimis loca Matth. XX, 28. 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. 1 Petr. II, 24. 1 Tim. II, 6. Hebr. IX, 28., quibus vicariae satisfactionis *notionem* inesse nemo facile negauerit. Adde locum insignem Ioh. XI, 50 s., quo ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους idem est, ac ἀντὶ τοῦ λαοῦ: vid. *Beza* ad h. l. Iudaico enim ingenio ea, quae summus pontifex imprudens effuderat, licet alio sensu, ad instinctum diuinum referuntur; quare Ioanni persuasum erat, Iesum non solum in gratiam, sed loco et vice populi mortis damnari debuisse. Aliis locis bene multis (v. c. 1 Ioh. III, 16.) ὑπὲρ pro εἰς χάριν positum esse, nemo sanus dubitabit.

c) *Löffler* über die kirchliche Genugthuungslehre, Züllichau 1796.

§. 145.

Continuatio doctrinae biblicae.

Redux *denique* e sepulcro Iesus nouam iterum eamque multiplicem causam peccatorum remissionis secundum literas sacras continet. Immunitas enim a poenis malefactorum nonnullis in locis deriuatur e resurrectione Christi (Rom. IV, 25. VIII, 34. 1 Petr. I, 3.); alia sententia prouocatur ad exaltationem Messiae ad dextram numinis (Actor. V, 31); tribus, vel quatuor locis ad intercessionem Iesu pro hominibus coram Deo ablegamur (Rom. III, 34. Hebr. VII, 25. 1 Ioh. II, 1. cf. Ioh.

XVI, 26); duobus autem sanguine Christi sanctuario vasisque coelestibus adsperso a peccatis mundi fieri dicimur (Hebr. IX, 23. XII, 24.). Neque mirum; Iudaeorum enim expiationes atque lustrationes secundum legem Mosaicam tam diuersis modis atque rationibus peragebantur, vt Iesus moribundus atque rediuiuus et cum victima et summo sacerdote semel comparatus in multiplices etiam imagines et allegorias indui et transfigurari debuisset. Cardo enim doctrinae semper in eo versabatur, vt peccatores fide et resipiscentia reconciliari (2 Cor. V, 17—21. Luc. XXIV, 47.) ideoque per Christum ab imperio peccati vindicari (Rom. VI, 10 sq. consensu fere unanimi a scriptoribus sacris doceretur [b]).

a) *Calou.* VII, 553. M. *biblische Theologie*, t. III. p. 122 sq.

b) Mireris itaque, ipsum *Melanchthonem* monere sine cautione ad Rom. III, 25.: *nec tamen inde sequitur, quod lapsis post remissionem, si rursus agant poenitentiam, non possit iterum venia contingere.* Vid. Hebr. VI, 4—6.

§. 146.

Doctrina ecclesiastica de remissione peccatorum.

Ex his aliisque locis contexta est doctrina ecclesiae de remissione peccatorum, quam *actum Dei* esse aiunt, *quo homines peccatores pro-*

pter meritum Christi tum culpa, tum mortis aeternae metu liberat. Bene meritus autem est seruator de genere humano primum obedientia actiua, vel *plena legis impletione, vicario nomine pro hominibus suscepta* (Matth. V, 17. Rom. X, 4. Gal. IV, 4 sq.) [a]); deinde obedientia passiva, vel *actu sacerdotali, quo peccata mundi in se transtulit, poenas meritas luit, et sanguine ac morte debita hominum expunxit* (Ies. LIII, 4. Ioh. I, 29 sq. Matth. XX, 28. Rom. V, 10.); vltimum intercessione, vel *actione Iesu θεανθρώπου, qua pro electis apud patrem voce et meritorum ostensione interpellat, ita tamen, vt maiestatem suam haud imminuat* (Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 27) [b]). *Hoc merito triplici satisfecit Christus pro omnibus omnium hominum, angelis tamen exceptis et Iesu ipso, peccatis et poenis eorum praeteritis atque futuris* (1 Tit. II, 14. Gal. III, 13. 1 Ioh. II, 2.) [c]).

a) *Walchii* commentatio de obedientia Christi actiua. Goettingae 1775. 4.

b) *Melanchthon* loc. theol. p. 550. de satisfactione. *Libri symbol.* p. 380., de confessione. *Quenstedt* tom. II. p. 323 sq. *Seiler über den Versöhnungstod Christi*, ed. 2. Erlang. 1782. Quam egregie haec omnia imaginationi adblandiantur, *Miltoni* (parad. lost. B. III.) et *Klopstockii* (Messias. Ges. IX sq.) poëmata docent.

c) *Cottae* dissert. de redemtione ecclesiae sanguine

Iesu Christi facta; in sua loc. *Gerhardi* ed. t. IV. p. 81 sq. *Ewald:* bedarf der Mensch Vergebung seiner Sünden, und was lehrt die Bibel hierüber? Leipzig 1802.

§. 147.

Illustratio doctrinae critica; remissio peccatorum a nonnullis in dubium vocata.

Docet autem historia, in hac doctrina, quae tranquillitati conscientiae sapienter consulit, cum aduersarios, tum pios doctores ipsos, ingenia multiplici ratione exercuisse. Dubitauerunt enim *primum* vel nostris temporibus de remissione peccatorum in vniuersum, quam non, nisi improprie et allegorice locum habere posse contendunt [a]). Ductam esse remissionis imaginem a regibus humanis, legum suarum rigorem salutarem interdum haud sine reipublicae incommodo temperantibus; nmminis contra leges iustissimas, ideoque irreuocabiles esse; poenarum Dei, quas arbitrarias vocant, metum euangelio ipso profligari (Rom. VIII, 15. 1 Ioh. IV, 18.), naturales autem vel post mentis emendationem remanere; vitae humanae momenta omnia et singula officio et virtuti addicta esse ita, vt debitum semel contractum noui meriti abundantia expungi plane nequeat [b]); praetereaque, longa experientia teste, fidem hominum in peccatorum remissione et absolutione collocatam virtutis neruos incidere, fomitem iniustitiae et vitiosi-

tatis alere, et scelestos, quibus facinorum venia tam facilis paretur, ad noua subinde flagitia prouocare c).

a) *Animi labes* nec diuturnitate *euanescere*, nec ulla alia ratione *elui* potest. *Cicero* de legg. II, 10. Pariter Regulus ad peierandum in senatu sollicitatus negauit, rationi consentaneum esse, *ut maculae peccatis hominum contractae pecorum boumque sanguine ablui credantur.* *Liu.* supplementis, l. XIII. in *Eichhornii* historia antiqua. Gottingae 1811. t. I. p. 375.

b) *Süſskind* über die Möglichkeit der Sündenvergebung in libro *Flattii:* Magazin für christliche Dogmatik und Moral, p. I. pag. 1 sq. *Flatt's* philosophisch-exegetische Untersuchungen über die Lehre von der Versöhnung. Göttingen 1797. §. 31 sq.

c) Iam *Zosimus* hoc nomine carpit abusum religionis Christianae, quod homines maxime facinorosos tam facili opera summis criminibus liberare dicatur. Constantinum enim magnum, quem post Crispum filium cum nouerca Fausta atrociter sublatum flamines nullo lustrationis modo tam foeda piacula eluere posse dicebant, homo Aegyptius, palatinis mulierculis familiaris, purgauit Christianorum mysteriis. *Hist. nou.* l. II. p. 179. ed. Cellar. Ien. 1739.

§. 148.

Obiectiones aduersariorum doctrinae de satisfactione.

Maiorem adhuc obiectionum numerum congessere in doctrinam ecclesiasticam de satisfactione per meritum Christi pro peccatis hominum praestita. Monuerunt enim, doctrinam de Messia, passione et morte vicaria pro peccatis generis humani satisfaciente antiquis Iudaeis plane incognitam fuisse [a]); omnem hac de re sententiam niti comparatione mortis Iesu Christi cum sacrificiis piacularibus [b]), origine humanis, et a saluatore ipso reiectis (Marc. XII, 33.); improprie vel de iniusto (Prov. XXI, 18.), deinde etiam de Paulo (Col. I, 24. 2 Tim. III, 10.) et Iohanne [c]) dici, eos in gratiam suorum vitam posuisse; Iesum satisfecisse legi Mosaicae doctrina quidem (Matth. V, 17. XII, 8. coll. Rom. III, 31.), sed factis non aeque; reatus et poenae notiones personae limites nunquam egredi, ideoque etiam in alium, innocentem praesertim, transferri non posse; intercessionem Christi pro hominibus, dignitati numinis parum conuenientem, ad pontificis Iudaeorum preces in sanctuario oblatas adumbratam [d]); fiduciam autem in victima qualicunque collocatam virtutis et verae pietatis impedimentum et vero remoram esse, a religionis doctrina meliori ocyus serius remouendam [e]).

T

a) *De Wette* de morte Iesu Christi expiatoria. Berolini 1813. p. 33 ss.

b) Iam Aegyptios culpam peccatoris, quid quod totius regni in caput victimae piacularis deuouisse, locus docet disertus apud *Herodotum* (l. II, 46. ed. Stephan. 103. Wesseling.): εἰ τι μέντοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. Cfr. *biblische Encyclopaedie.* Gotha 1793. v. Opfer. *Bauer's* gottesdienstliche Verfassung der Hebräer. I, 139 sq. Bello aduersus Latinos gesto Decius se deuouit pro salute populi, *sicut coelo missus*, *piaculum omnis Deorum irae. Liuius* l. VIII. c. 9,

c) Τὸν σὸν θάνατον ἑκὼν ὑπομενῶ, ὡς ὁ Κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ὑπὲρ σοῦ τὴν ψυχὴν ἀντιδώσω τὴν ἐμήν. Vide totum locum apud *Eusebium* H. E. l. III. cáp. 23.

d) Simili ratione populus Romanus pro L. Fabio intercessit apud Papirium dictatorem, qui eum „populo *donauit*, *precarium*, *non iustum* auxilium ferenti.“ *Liuius* l. VIII. c. 35.

c) *Catechismus Racouiensis* ed. Arnold. 1654. pag. 504 sq. Summa vniuersae theologiae Christianae secundum Vnitarios. Claudiopoli 1787. p. 204 ss. *Eberhard's* Apologie des Socrates, tom. II. 248 sq. *Bahrdt's Apologie* der Vernunft, durch Gründe der Schrift unterstützt, in Bezug auf die christliche Versöhnungslehre. Basel 1781. *Henkii* lineamenta, §. 107 sq. *Kant's* Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft, p. 94 sq. *Löffler* von der kirchlichen Genugthuungslehre, wieder abgedruckt in seinen kleinen Schriften. Weimar 1817. B. I. S. 244 ss. *Niemeyer's* Briefe an christliche Religionslehrer. Halle 1795. t. II. p. 181 sq.

§. 149.

Remissio peccatorum vindicata.

Responderi autem potest ad primum (§. 146.) dubitationum genus, remissionem peccatorum imaginem esse quidem, notione tamen minime vacuam, quum iustitia diuina omnis in bonitatem (§. 66 sq.) desinat; consectaria peccati externa, si vel post mentis emendationem remaneant, formam tamen poenarum amittere propter internum animi habitum in melius correctum; peccatum ipsum infectum non fieri, culpam tamen noua, quae induitur, mente (Ephes. IV, 22.) minui et virtutis incremento sensim elui posse [a]); veram animi peccato corrupti mutationem absque poenitentia et conscientiae morsibus, qui maxime poenae vice sunt, [b]) locum vix habere (Psalm. XXXII, 3. Matth. XXVI, 75. Luc. XV, 16 sq. Act. IX, 9 sq.) [c]); et abusibus ecclesiasticis iustum doctrinae vsum moralem nunquam irritum fieri. Quapropter grati amplectimur euangelii beneficium, quo docemur (Luc. XXIV, 47. Ephes. I, 7.), *ordinem rerum moralem ita esse instructum, vt vero religionis studio feruentes ex errorum et peccatorum tenebris emergere, cum numine per Christum in gratiam redire et impetrata reconciliatione gratuita ad libertatem filiorum Dei adspirare queamus.* In hac autem sententia remissionis peccatorum arcem sitam esse, nemo facile negauerit [d]).

a) Poenitentiam agens nomen mutare debet coram Deo, vt dicere possit, *ego sum alius*, *neque iste adhuc*, *qui haec fecit*: אני אחר ואינו אותו האיש שעשה אותן. *Maimonides* de poenitentia, c. II. §. 5. ed. Clavering. Oxon. 1705. p. 49.

b) At inquiunt: conuenit iustitiae Dei, punire peccatum. *Certe punit in contritione*, *cum in illis terroribus iram suam ostendit* (Ps. VI, 1.): Apolog. A. C. de confessione et satisfactione, p. 193. ed. Rechenb.

c) *Kant's* Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft, p. 87 sq. *Seiler*, die Religion nach Vernunft und Bibel in ihrer Harmonie. Erlang. 1798. p. 233 sq. *Reinhard's* Predigten im Iahre 1802. gehalten, II, 369 ss. *C. C. Tittmann's* Predigten über das Verdienst Christi. 2te Auflage. Leipzig 1792. *Tholuk's* Lehre von der Sünde und dem Versöhner. Dritte Ausg. Hamburg 1830. p. 80 ss.

d) Eandem simplicitatem fidei tenuit ecclesia antiqua: *πᾶσιν τοῖς μετανοοῦσιν ἀφίησιν ὁ θεὸς, ἐὰν συνδράμωσιν εἰς ἑνότητα χριστοῦ.* *Ignatii* epistola ad Philadelphenses, pag. 101. edit. Vedelii. Genev. 1623. Vide *Heubneri* historiam antiquiorem de modo salutis tenendae. Viteberg. 1805. et *Nitzschii* prolusiones binas de gratiae Dei iustificantis necessitate morali, Viteb. 1812 et 13.

§. 150.

Respondetur ad dubitationes de satisfactione Christi.

In altera doctrina de satisfactione (§. 147.) insunt quidem nonnulla, quae difficultatibus pre-

mantur aegerrime remouendis. Obseruari tamen iuuat, sacrificii imagine sapientem forte, peccatorem autem metu numinis trementem vix, vel nunquam carere posse [a]); Pauli et Iohannis calamitates omnino in commodum suorum ab iis toleratas esse; Christi obedientiam, quam actiuam adpellant, reconciliatis egregium nouae pietatis exemplum praebere (1 Petr. II, 21 sq.); culpam peccatoris non tam morte Christi ipsa, quam fide in saluatoris moribundi, cuius recordatio vel mentem durissimam emollit, innocentia et sanctitate collocata, ideoque egregio emendationis subsidio, minui et sensim auferri; intercessione Christi apud patrem tenerum soteris optimi erga suos adfectum (Ioh. XVII, 20 sq.) rudioribus etiam ante oculos poni; et vniuersam mortis Christi cum victima piaculari comparationem iam ab apostolis ita institutam esse, vt animos per imaginum et allegoriarum vmbras ad puriorem Dei cultum euehere debeat (Ioh. IV, 23 sq. Ephes. IV, 13 sq. 1 Petr. II, 5.). Cauendum itaque erit doctoribus Christianis primum, ne literae dogmatis inhiantes ad Leuitarum ministerium cruentum descendant; deinde, ne, animis auditorum veternum moralem excutientes conscientiam eorum turbent, aut vulnerent (1 Cor. VIII, 11.) [b]).

a) *Facile est otiosis, fingere ista somnia de dilectione, quod reus peccati mortalis possit Deum diligere super omnia, quia non sentiunt, quid sit ira, aut iudicium Dei. At in agone conscientiae*

et in acie experitur conscientia vanitatem illarum speculationum philosophicarum. *Apolog. confess.* p. 66. Adde *Grotii* defensionem fidei catholicae de satisfactione Christi aduersus F. Socinum, in opp. theol. Basil. 732. t. IV. p. 297 ss.

b) *Schlegel* über den nächsten Zweck des Todes Iesu, und wie derselbe noch zu unserer Zeit zur Beruhigung der Menschen in der Vergebung der Sünden anzuwenden sei, in *Henke's* neuem Magazin, tom. II. p. 118 sq. *Löffler* der Todestag Iesu, ein Tag der allgemeinen Versöhnung; in s. neuen Predigten, t. I. Iena 1801. pag. 131 sq. *Döderlein's* christlicher Religionsunterricht, fortgesetzt von *Iunge*, tom. XI. Nürnberg 1802. p. 118 sq. *Tzschirner* von der sittlichen Kraft der christlichen Lehre von der Versöhnung des Menschen mit Gott, in s. Predigten herausgeg. von *Goldhorn*. Leipzig 1828. B. III. S. 186 ss.

§. 151.

Doctrina biblica de iustificatione.

Nouam huic doctrinae de venia peccatorum et salute per Christum obtinenda formam induit *Paulus*, cum Iudaeis de iustitia coram Deo obtinenda disserens. *Iustus* nimirum in libris sacris *primum* ille adpellatur, *qui legi conuenienter agit* (Gen. VI, 9. XXIII, 19.); deinde is, *qui legem Mosaicam factis exprimit* (Matth. V, 20. Rom. X, 5.); *iustificatio* denique *actum* denotat *numinis forensem, quo hominem propter Christum a peccati poena liberatum futuris prae-*

miis dignum iudicat (Rom. I, 17. IV, 25.) [a]). Vrget autem apostolus contra Iudaeos hanc inprimis sententiam, *homines non propter obedientiam legi Mosaicae praestitam* (Rom III, 26. 27. Ephes. II, 8 sq.), *sed propter fidem in Iesu doctrina et morte collocatam* (Rom. III, 28. IV, 16. Gal. V, 2—5.), *quam amoris* (1 Cor. XIII, 13.) *omniumque virtutum fontem esse pronuntiat* (Rom. III, 31. VI, 4 sq. Gal. V, 6. VI, 15.), *iustos a Deo iudicari.* Quae quidem doctrina, si ad sensum idoneum reuocetur, in hanc coire videtur sententiam, homines neque stirpe ab Abrahamo ducta, neque legum Mosaicarum obseruantia, sed fide et recte factorum (Rom. II, 14 sq.), quae inprimis ab euangelii praeceptis pendent (Rom. I, 16), conscientia Deo gratos et acceptos fieri (Act. X, 35), *qui per Christum veram iustitiam in eos confert* (Rom. III, 26. 1 Ioh. I, 8.) [b]).

a) *Iustum facere*, vel *iustitiam praebere* peccatori, quod Dei donum est (Ierem. XXIII, 6), in V. T. declarabat tum *expiationem delicti* (Ps. LI, 11 ss.), tum spem *salutis* (v. 14. Ies. LI, 5.) noua mente a Deo per spiritum suum indita consequendae (Ps. LI, 12.). Pari ratione *iustum fieri* idem est in N. T. ac *Deum per peccatorum veniam* sibi *propitium* habere (Luc. XVIII, 14.) nouamque *spem salutis impetrare* (Rom. V, 2 s.). *Auctor* huius iustitiae est Deus, qui *iustos reddit* (Rom. VIII, 33.), vel *iustitiam coelitus* praestat (Rom. I, 17. III, 21.) per *remissionem peccatorum*: (26.) nouamque spem *gratiae*, hoc est salutis atque gloriae (ibid.). In-

ternuntius, vel *mediator* (1 Tim. II, 5.) huius *iustitiae* est Christus pro nobis *mortuus* atque *redux* ab *inferis* (Rom. III, 22. VIII, 34. 2 Cor. V, 21.) suoque *amore* Dei *amorem* nobis concilians (Rom. VIII, 35. 39.). Causa huius iustitiae, vel conditio personalis, quam etiam instrumentum, vel ὄργανον ληπτικὸν adpellauere veteres, non est meritum operis secundum legem (Rom. III, 21. 28.), sed *fides* in Christo pro nobis mortuo collocuta (24.), qua primum peccatorum *veniam* (2 Cor. V, 19.), deinde nouae *felicitatis spem* consequimur (Rom. I, 17 s.). Differt itaque oeconomia salutis in utroque foedere nobis reuelata ratione *obiecti et subiecti*. Ratione *obiecti* longe *perfectius* est propitiationis institutum (2 Cor. V, 19.) euangelicum mosaico, quia Christus morte sua (Hebr. IX, 4.) longe maiorem perfectionem et obedientiam (δικαίωμα, rectefactum Rom. V, 18. 19.) hominibus salutarem tanquam summam et ultimam victimam (Hebr. IX, 26.) obtulit. Ratione *subiecti*, quia fides in Christo posita longe maiorem vim *moralem* habet, labes peccati *eluendi* (ibidem v. 14. 26.) animosque noua religione *consecrandi* (Ioh. XVII, 19.). Differt pariter iustificatio a renouatione et sanctificatione (1 Cor. I, 30.) quemadmodum *reconciliatio* ab *expiatione*, vel actus *iudicialis*, hoc est forensis, a *morali*, hoc est simplici gratiae sanctificantis communicatione. Hac autem sententia principe nostra ecclesia distinguitur a romana. Vide *Storrii* opusc. academ. Tubing. 1796. I, 188 ss. et *Tittmanni* excursum ad confessionem fidei Carolo V. exhibitem. Dresdae 1830. p. 67 ss.

b) *Witsii* miscellan. sacra, tom. II. p. 524 sq. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 112 sq. *Meyer's*

Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs. Altona 1801. p. 212 sq.

§. 152.

Doctrina ecclesiastica de iustificatione.

His fundamentis superstructa est doctrina ecclesiae nostrae de *iustificatione*, quam *actum gratiae esse dicunt, quo Deus peccatori credenti et conuerso non propter dilectionem fidei, vti somniant scholastici* [a]), *sed propter meritum Christi peccata remittit et iustitiam Christi imputat ad salutem aeternam* (Rom. V, 18.) Causam iustificationis *externam* ponunt in *satisfactione Christi plenaria* (Rom. III, 25 sq.); *internam* in *beneuolentia et misericordia diuina* (Rom. III, 24. Ephes. II, 8.) [b]). *Iustificari a Deo peccatores in Christum credentes omnes, etiam poenitentes* V. T. (Act. X, 43. XV, 11.). *Adminicula salutis vel δότικα esse, euangelium et sacramenta* (2 Cor. V, 19. Gal. III, 27,); *vel λήπτικα, meritum Christi et fidem* Ioh. I, 12. Gal. III, 14.) *Iustificari homines sola fide, non operibus* (Rom. III, 28. Gal II, 16); *fidem tamen, si genuina fuerit, obedientiam esse erga euangelium et bonae voluntatis genitricem, ideoque virtutes Christianas, ceu fructus mentis melioris, comites sibi adiunctas habere* (Gal. V, 6. Iacob. II, 24.) [c]).

a) ***Petri Lombardi*** sentent. l. II. dist. 18 — 25. *Sar-*

pi's Geschichte des Trident. Concils, l. II. S. 2. §. 113. ed. Rambach. t. II. p. 474 ss. *Pallavicini* histor. concil. Trident. l. VIII. c. 4. 13 s. *Bossuet* l. c. lib. III. c. 21.

b) *Augustan.* confess. art. 4. p. 10. apolog. confession. p. 60 sq. *Melanchthon* loc. theol. p. 422 sq. Artic. Smalcald. XIII. p. 335 sq. Form. concord. pag. 583. 682 sq. *Chemnit.* loc. theol. II, 587 sq. 768 sq. *Eiusd.* examen decret. concil. Trident. p. I. loc. VIII. *Gerhardi* loci VII, 183 sq. *Seiler* vom Versöhnungstode Iesu. Erlang. 1782. p. II. p. 279 sq. *Storr's* Abhandlung zum Brief an die Hebräer. Tübingen 1789. *Planck's* Geschichte des protestant. Lehrbegriffs, tom. IV. p. 496 sq. *Reinhard's* Dogmatik, ed. 2. p. 464 sq.

c) Egregie *Lutherus: gute fromme Werke machen nimmermehr einen guten, frommen Mann, sondern ein guter, frommer Mann macht gute fromme Werke* (Matth. XII, 8.). *Nun ist's offenbar, daſs die Früchte tragen nicht den Baum, so wachsen auch die Bäume nicht auf den Früchten: sondern wiederum die Bäume tragen die Frucht.* Opp. ed. W. XIX, 1222 ss. Predigt man nicht den Glauben, so werden eitle Heuchelwerke daraus; treibt man aber den Glauben allein, so wollen keine Werke hernach. Summa: es wollen entweder eitel *glaublose Werkler*, oder gar *werklose Gläublinge* werden. Ausleg. des XV. Cap. Iohannis: opp. XIII, 398. Verba aurea Paulo apostolo digna.

§. 153.

Epicrisis doctrinae.

Fuere quidem, qui vel in hac doctrina aegre ferrent, formulam iustificationis forensem institutioni Iesu Christi simpliciori de hominibus mentis emendatione saluandis (Matth. IV, 17. Ioh. III, 15 sq.) anteponi; virtutis studium, quo religio omnis animatur (Matth. VII, 16.), contemni, quid quod a fanaticis doctoribus damnari; omnemque fere hominis Christiani prouinciam ad fidem historicam de Iesu meritis nudamque eorum perceptionem reuocari [a]). Meminisse tamen iuuat, Lutherum hac sententia primum Christianos publice a satisfactionibus canonicis et ecclesiasticis ad hominis interni curam et studium reuocare; virtutes externas, nisi a fide processerint, ab inani ostentatione plerumque non longe abesse; persuasionem de *necessitate* bonorum operum ad salutem futuram veritatis officiique sanctitati facile labem adspergere non nisi fidei puritate eluendam; atque hanc demum animi vitiis mederi limpidumque in eo virtutis et pietatis fontem aperire posse [b]). Quae satis docent, *praeceptum euangelicum de modo iustitiae coram Deo obtinendae* (Rom. I, 17.) *vel nostris temporibus tanquam palladium theologiae christianae reuerendum esse. Idem* enim *mentis humanae* per omnia secula *morbus* non nisi eodem, hoc est *efficacissimo* et *unico* remedio per Christum parato sanari poterit [c]).

a) *Curcellaei* diss. theologica de hominis per fidem et opera iustificatione, in opp. theolog. Amstel. 1675. q. 933 ss.

b) *Paulus* im neuen theolog. Iournal, tom. VII. p. 211 sq. *Schmid* über christl. Religion, p. 313 sq. *Velthusen's* Magazin, t. III. p. 107 sq. *Flatt's* Magazin für christliche Moral und Dogmatik, p. I. p. 218 sq. *Wodurch wird der Mensch gerecht vor Gott?* B. *Löffler* in den *neuen Predigten.* Gotha. B. III. 1813. p. 27 ss.

c) Ne iis, qui omnem hunc articulum e tabula fidei euangelicae spongia sua, si Deo placet, critica abstergere solent, suauiter cum veteribus delirare videamur, excitare iuuat *Lutheri* nostri, cui hoc loco summam post apostolos auctoritatem tribuimus, obseruationem ex euangelii fontibus et ipsis pectoris humani praecordiis haustam. „Feruet nostra aetate *tentatio praesumtionis* in multis et iis praecipue, qui iusti et boni esse omnibus viribus student, ut in se ipsis quaerant tam diu operari bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo, veluti virtutibus suis et meritis ornati, quod est impossibile fieri. *Fuisti* tu apud nos in hac opinione, imo errore, *fui et ego:* pugno cum hoc errore, neque plane tamen eum expugnaui. Igitur, mi dulcis frater, disce Christum et hunc crucifixum, disce ei cantare et de te ipso desperans dicere ei: tu, domine Iesu, es iustitia mea, ego autem sum peccatum tuum: *tu assumsisti meum et dedisti mihi tuum, assumsisti, quod non eras, et dedisti mihi, quod non eram.*“ Epist. ad Spenlenium: *Luther's Briefe* von *de Wette.* Berlin 1825. t. I. pag. 17. Redit igitur omnis Lutheri de iustificatione doctrina ad permutationem personae peccatoris cum Christo

fide efficiendam, cuiuis conscientiae sauciae salutarem *perpetuaque experientia* confirmatam. Satius itaque nobis esse videtur, institutionem apostolicam de *Deo iusto suamque iustitiam per Christum in nos conferente* (Rom. III, 26. 1 Ioh. III, 8 s. §. 150. not. *a*.) tanquam summun coeli beneficium amplecti atque nexum huius diuinae sapientiae (1 Cor. II, 6.) cum viribus humani animi ethicis psychologice indagare, quam Stoicae et Pelagianae superbiae patrocinium suscipere, qua post breuem honestatis speciem diuini fidei verequae pietatis igniculi in mente nostra exstinguuntur.

PARTITIO IV.

DE SANCTIFICATIONE HOMINIS RECONCILIATI.

§. 154.

Doctrina biblica de sanctificatione.

Homines fide cum Deo reconciliati fauente numine denique *virtuti in dies magis studere locumque inter sanctos occupare debent* (Act. XXVI, 18.). Docent nimirum libri V. T., admonitionem hominum de peccatis (Gen. VI, 5.), sapientiae et virtutis cognitionem, viresque ad recte agendum a Deo et spiritu eius repetendas esse (Psalm. LI, 8 — 17. Prov. II, 9. XXX, 7. Ioel. III,

2 sq. Ierem. XXXI, 33. XXXII, 39. Sap. Sal. VII, 21. VIII, 4 sq.), hac lege, vt vltimam conuersionis et emendationis animi, quae alias a libertate humana pendet (Ies. I, 16 sq. Ezech. XVIII, 31.), rationem in numine quaerendam esse ostendant (Ierem. XVII, 14. XXXI, 18.). Iesus cum apostolis eandem mentis conuersionem, etiam nouae generationis imagine adumbratam (Ioh. III, 3—8. Tit. III, 5.), Deo et spiritui eius vindicat (Ioh. VI, 44. 1 Cor. III, 5 sq. 2 Cor. III, 3 sq. IX, 8. Gal. IV, 6 sq. V, 5 sq. Phil. I, 6. II, 13.) et inter hunc atque fideles commercium quoddam coeleste intercedere testatur (Rom. VIII, 14—16. 2 Cor. III, 3 sq. Ephes. I, 13. IV, 30.). Quae quidem beneficia interdum *gratiae* (Ioh. I, 17. Act. XIV, 3. Rom. VI, 14. Gal. II, 21.), aliis in locis *conuersionis* (Ierem. XXXI, 18.), *illuminationis* (Act. XXVI, 18. 2 Cor. IV, 6.), *regenerationis* (1 Petr. I, 3.), *sanctificationis* (1 Thess. IV, 3. V, 23.), *habitationis diuinae* in animis hominum (Ioh. XIV, 23. 1 Cor. VI, 17.) nominibus, magis vocum et nominum, quam ipsius rei diuersitate, insigniuntur.

Henke's Magazin für Religionsphilosophie und Kirchengeschichte, tom. II. p. 283 sq. *Ständlin's* Dogmatik und Dogmengeschichte, p. 661 s. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 147 sq.

§. 155.

Doctrina ecclesiastica de sanctificatione.

Hac autoritate scripturae sacrae nisi, tres inprimis sententias proposuere doctores ecclesiae. *Primum* reiectis Stoicorum, Pelagianorum, Semipelagianorum et Synergistarum erroribus docuerunt, hominem post lapsum voluntate libera in rebus spiritualibus prorsus carere (1 Cor. II, 14), et propter intellectus caecitatem animique prauitatem lapide, aut trunco multo deteriorem esse, quia verbo et voluntati Dei repugnet [a]). *Deinde* causam emendationis efficacem solum esse spiritum sanctum, qui verbi diuini et sacramentorum auxilio intellectum, voluntatem et mentem hominis immutet et renouet, adeo, vt ea, quae homo nunc conuersus bene operatur, non viribus suis naturalibus, sed nouis a spiritu diuino acceptis perficiat [b]). Fieri tamen posse, vt iustificati hoc beneficio excidant et ad pristina peccata redeant [c]).

a) Recte praeceperat *Augustinus* (de spiritu et litera ad Marcellinum c. 3.): „neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, *si lateat veritatis via.*“ *Luther.* autem placuit sibi in exaggeratione huius sententiae: *auch im Stande der Unschuld hat der Mensch kein Vermögen gehabt, Gutes zu thun, sondern allein daſs das Gute in ihm gethan werde, vielweniger hat er vermogt. im Guten zuzunehmen.* Opp. t. XVIII, 59. Maximam autem suis inuidiam conflauit Lutherus asperitate huius doctrinae in ipso Caesaris decre

to Augustano *pecuinae* et in *Deum contumeliosae* loco habitae (*Sleidani* commentar. l. VII.). Hominem enim, qui omnia ad Deum auctorem referre debet, sine eo nihil valere, in aprico est; posita autem semel libertate certissime simul ponitur facultas recte agendi.

b) Late hunc Augustini locum pertractat *Marheineccius* in libro: *Ottomar.* Drei Gespräche *über die Freiheit des Willens und göttliche Gnade.* Berlin 1821. p. 149 s.

c) *Carlstadtii* disput. cum *Eckio* in opp. Lutheri XV, 1020 ss. *Confess. August.* art. XVIII. apolog. art. VIII. p. 218 sq. Articuli Smalcald. pag. 318. epitome articulorum p. 578 sq. solida declaratio p. 654 sq. Conf. et *Melanchthonis* locus de viribus humanis, vel libero arbitrio, p. 347. cum *Chemnitii* examine decret. concil Trident. p. I. loc. VII.

§. 156.

Continuatio.

Postremum ii, qui secuti sunt doctores, hanc spiritus sancti in emendandis hominibus efficaciam reuocauerunt ad *operationes gratiae,* quam *summam actuum diuinorum esse* voluerunt, *qua spiritus diuinus hominibus beneficia per Christum parata effert et cum eis communicat, intercedentibus verbo diuino et sacramentis* (Ephes. III, 2. IV, 17.) *a*). Distinxerunt *illuminationem* (2 Cor. IV, 6.), qua peccatorem vocatum per ministerium verbi notitia legis et euangelii

salutari imbuit; *conuersionem* (Ierem. XXXI, 18. Ezech. XI, 19.), qua voluntatem peccatoris illuminati frangit, conterit, sensimque amore boni replet; *unionem mysticam*, qua animum hominis tamquam templum praesentia sua implet, eumque ad perseuerationem in pietate excitat (Ioh. XIV, 23. 1 Cor. III, 16. VI, 17—19.); et *sanctificationem*, qua animum hominis in dies magis a reliquiis peccati liberat, imaginem diuinam instaurat et seruat (Rom. XV, 16. 1 Thess. V, 23. Tit. III, 5.). Deriuantur autem omnes istae diuini spiritus operationes e *gratia* Dei siue *universali* et *particulari*, siue *antecedente* et *consequente*, siue *operante* et *cooperante*, siue *resistibili* et *irresistibili* [b]).

a) *Calou.* system. t. X. p. 582 sq. *Quenstedt* t. II. p. 707 sq. *Hollazii* examen, p. 788 sq. *Eckermanns* Handbuch, IV, 425 sq.

b) Quae diuisiones fere omnes e Pelagiana controuersia ortae sunt. *Wigger's* Darstellung des Augustinismus. Berlin 1821. p. 244 ss.

§. 157.

Obseruationes criticae de hac doctrina.

Animaduertit tamen iam Melanchthon ad hanc doctrinam (§. 153.) *primum*, disputationes de determinatione diuina et potestate diaboli quaestioni de libertate humana non admiscendas esse. Ad notionem enim liberi arbitrii pertinet omnino

delectus rerum, quae subiectae sunt rationi, aut sensibus [a]); hanc facultatem homini inesse qualicuique, qui distincta sui conscientia fruitur, teste experientia compertum habemus; libri sacri saltem, dum impios ad meliorem, quam induendam esse docent, mentem prouocant, (Ies. I, 16. 2 Cor. VII, 1. Iacob. V, 8.), libertatem generi nostro moralem vindicant, a qua sententia, inuiti licet, nec libri symbolici longe absunt, vim resistendi officio tribuentes homini, quae libertatem in spiritualibus satis prodit; hac enim si carerent mortales, merito et culpae, ideoque vel imputationi locus futurus esset nullus. Tenenda est itaque in disciplina morali sententia longe grauissima, hominem ratione instructum qualemcunque facultate voluntatis frui ad eligenda et expetenda beneficia diuina, et ad reiicienda eadem [b]).

a) *Augustana Confessio* (art. XVIII.) totidem verbis monet, esse *omnibus hominibus* liberum arbitrium, hoc est *iudicium rationis de operibus huius vitae tam bonis, quam etiam malis.* Disputatur igitur in libris nostris symbolicis non de *libertate hominis*, quam nunc in scholis adpellamus, *morali*, sed de *viribus* hominis naturalis, vel nondum regeniti, *spiritualibus*, hoc est de verae libertatis (Ioh. VIII, 36.) origine metaphysica et coelesti, quam in communi generis nostri imbecillitate (Rom. VII, 19.) non a nobis nostraque αὐτοκρατείᾳ, sed a Deo repeti, qui se ipsum nouerit, nunquam aegre ferre potest.

b) *Erasmus* de libero arbitrio diatribe 1524. *Lu-*

therus de arbitrio seruo. Vitemb. 1525. *Erasmi* hyperaspistes 1526, liber secundus 1527. *Melanchthon* l. c. pag. 348 sq. *Strigelius* de libero arbitrio. Lips. 1564. *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. II. p. 128 sq. *Schelling's* philos. Schriften, I, 422 ss.

§. 158.

Continuatio prima.

Vtut autem conuersionem, vel sanctificationem, quam *intransitiuam* vocant, homini haud facile abnegaueris, patet tamen, eam ipsam ablegare nos ad *transitiuam*, vel actum spiritus sancti, quo mortales in emendatione animorum morali propitius adiuuat (2 Cor. IV, 6. 1 Thess. V, 23. Tit. III, 5.). Quum enim vires hominum, cum physicae, tum ethicae, omnes a numinis nutu pendeant, Deus ipse autem vi sua potentissima et sanctissima cuncta penetret, et praeterea libri sacri praesentissimum eius auxilium in suscipiendo emendationis negotio promittant (Psalm. LI, 12. Ezech. XXXVI, 26. Ioh. IV, 44. Phil. II, 13 sq. 1 Cor. VI, 11.); dubitatione caret, virtutis etiam humanae primordia et incrementa ad clementem numinis voluntatem referenda esse. Incurrit autem in oculos, hoc fieri *mediate*, vel ratione *externa*, procuratione institutionis salutaris, excitatione per exempla virtutis illustria, paupertate, calamitatibus, admonitionibus amicorum et inimicorum, multisque aliis rationibus, quae

Dauidis, filii deperditi, Pauli, aliorumque experientia in libris sacris illustrantur.

§. 159.

Continuatio secunda.

Minus clara obtutu primo videntur esse ea, quae de ratione *immediata*, vel *interna* ponunt doctores, qua spiritus sanctus homines in mentibus emendandis adiuuare dicitur. Obiiciunt enim, damnari ab ecclesia nostra Enthusiastas, qui Deum homines absque verbi sui auditu illuminare doceant [a]); cogitationes hominum pias ad leges psychologicas, non ad numinis efficaciam singularem referendas esse [b]); deumque nunquam, nisi intercedente rerum natura, ratione et conscientia in mentes hominum operari [c]). Responderi tamen potest, ecclesiam nostram etiam reiicere Pelagianos, qui suismet viribus homines puros et sanctos fieri statuunt, quamuis neque ipsi immediatas diuinae gratiae operationes plane reiiciant [d]): conscientiae motus, quamuis legibus rationis adstrictos, tamen ad Deum auctorem referri posse [e]); rationem puram et conscientiam non medium quid inter hominem et Deum, sed numinis ipsius vim et vocem esse (Rom. VIII, 14—16. 26.) [f]); et in libris sacris dissertissimam hominum cum Deo commercii mentionem contineri (Ioh. XIV, 23. Rom. V, 1. 2 Cor. VI, 16—18. Phil. II, 13 sq.) [g]), in ipsis nouae religionis primordiis, quibus Christiani

verbi externi praesidio non vbique vti poterant. Hisce argumentis autem hoc saltem efficitur, ingenium etiam et animum nostrum a numine pendere, eique tanquam templum et simulacrum dedicatum esse debere (Ioh. III, 8.) *h*).

a) LL. SS. in *epitome articulorum* p. 581.

b) *Kant's* Anthropologie, p. 13 sq. ed. 1. *Dessen* Religion innerhalb der Grenzen der bloſsen Vernunft, p. 251 sq.

c) *Niemeyer's* Briefe an christliche Religionslehrer, tom. III. p. 160 sq. *Döderlein's* Relig. Unterricht, v. Iunge, Th. XII. p. 394 et 445. *Reinhard's* christl. Moral, B. I, §. 77.

d) *Wigger's* l. e. pag. 230. ss.

e) Es muſs euch völlig einerlei seyn, zu sagen: *Gott hat es weislich so gewollt, oder die Natur hat es weislich so gewollt. Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 727.

f) Ἡ ψυχὴ τῷ θεῷ παρέχει χρωμένῳ κατευθύνειν καὶ τρέπειν ἑαυτὴν πάντων ὀργάνων εὐπρεπέστατον. Verba aurea Anacharsis apud *Plutarchum* in conuiuio septem sapientem, opp. ed. Reiskii VI, 623. *In vnoquoque bonorum virorum habitat Deus. Nulla sine Deo mens bona est. Seneca* ep. XLI. et LXXIII.

g) *Iunckheim*, von dem Uebernatürlichen in den Gnadenwirkungen. Erlang. 1772. *Storrii* diss. de spiritus sancti in mentibus nostris efficientia. Tubing. 1777. recusa in opusc. eius theologicis. *C. C. Tittmann* de inhabitatione spiritus sancti, in opusc. theol. Lips. 1803. p. 399 ss. *Spalding* vom Werthe der Gefühle im Christenthum. Lips.

1784. *Bretschneider's* Handbuch t. II. pag. 561. ss. ad. 3.

h) Extat hac de re locus disertus *Lutheri* (opp. t. X. p. 1607 de spiritu et litera adversus Erasmum). „Diesen Geist Gottes (2 Cor. III, 3.) kann man *in keine Buchstaben* fassen, sondern ist eine lebendige Schrift des heil. Geistes *ohne alle Mittel.*" Disputat igitur Lutherus contra fanaticos, primam autem gratiae efficaciam, cuius nona causa frustra quaeritur, nulla modo negat.

§. 160.

Continuatio.

Dissimulari tamen nequit, discrimen, quod inter externam et internam, mediatam et immediatam spiritus sancti operationem ponunt, magis ad ingenium humanum, quam ad rem ipsam pertinere. Numen enim, cui efficacia aeterna proptereaque ἄχρονος tribuitur, longam, in qua nos haeremus, causarum seriem vno actu amplectitur et vi sua potentissima ad intimos animorum recessus penetrat, nobis ipsis absconditos (Ps. CXXXIX, 2 sq.). Sufficit itaque docere, Deum hominis emendationem et sanctificationem adiuuare *primum* sensus bonos in mente excitando (Matth. XXVI, 75. Luc. XV, 16.); *deinde* lucem cognitionis melioris promouendo (Act. XVI, 14.); *mox* voluntatem veri et religionis vi flectendo (Ioh. III, 5. Act. XXVI, 18. Iac. II, 12); *postremum* semina virtutis in mente alendo, fouendo eiusque

fructus laetos maturando (Luc. XXII, 32. 2 Tim. III, 17. 2 Petr. I, 3.). Quamuis enim in moralibus virtus et pietas libertati humanae vindicetur; tenebit tamen theologus alio respectu sententiam, sanctam etiam animi nostri conditionem Dei opus esse (Ephes. II, 10. Phil. II, 12 sq.).

I. A. Cramer über die ausserordentlichen Erweckungen der Menschen zur Bekehrung und Heiligung, in s. neuen Sammlung einiger Predigten. Kopenhagen 1763. tom. I. p. 507 sq. *Spalding* l. c. M. Religionsvorträge im Geiste Iesu: *von dem Glauben an einen himmlischen Beistand*, tom. II. p. 109. sq.

PARTITIO V.

DE

ADMINICVLIS SALVTIS PER CHRISTVM OBTINENDAE.

---

§. 161.

I. Doctrina biblica de verbo Dei.

Hanc autem insignem animi mutationem intercedentibus praesertim verbo diuino et sacramentis fieri, iam supra vidimus (§. 155.). Docent nimirum literae sacrae, *verbum Dei* esse significationem voluntatis diuinae qualemcunque (Gen. I, 3. Deut. VIII, 3. Psalm XXXIII, 6.), cum in rerum natura, tum in mente humana, tum in virorum sa-

crorum institutione obuiam. Verbum Dei *naturale* praedicant Dauides et Paulus (Psalm. VIII, 4 sq. XIX, 2 sq. CXIX, 89. Rom. I, 19 sq.); *rationale*, vel internum, animis humanis inditum, viri sacri summis laudibus prosequuntur (Deut. XXX, 12. Ierem. XXXI, 33. Ioh. VI, 63. Rom. X, 8. Hebr. VIII, 10.); *promulgatam* autem a viris sanctis *doctrinam* de rebus coelestibus verbi diuini honore ita ornant, vt non Mosis solum (Deut. XVIII, 19. 2 Sam. XXII, 9.), sacerdotum et vatum (1 Sam. III, 1 sq. Ies. II, 3. Ierem I, 9. XXII, 29), Iesu et apostolorum (Ioh. V, 24. XIV, 10. XVII, 17. 1 Thess. II, 13), sed omnem in vniuersum de religione et regno Dei institutionem (Mich. VI, 8. Sap. Sal. XVI, 26. Sir. VI, 35. Luc. VIII, 11. 21. Ioh. VIII, 47.), Christianae ecclesiae inprimis (Act. VI, 17. XII, 24.), ad effatum diuinum referant. Huic verbo diuino, a ieiunitate literae seiuncto (Ioh. VI, 62 sq. Rom. VII, 6. 2 Cor. III, 6.), vim coelestem ad peccatores cum arguendos (Ierem. XXIII, 29. 1 Petr. I, 23 sq. Hebr. IV, 12.), tum saluandos et salutari cognitione imbuendos (Rom. I, 16. 1 Cor. I, 18.) inesse docent.

M. *biblische Theologie*, tom III. p. 155 sq.

§. 162.

Doctrina ecclesiastica de verbo Dei.

In ecclesia nostra has notiones biblicas adeo coarctauerunt, vt reiectis Enthusiastis, *qui se ante scripturam, vel vocale verbum, spiritum in scrinio pectoris sui habere iactitant* [a]), verbum diuinum ad solum legis et euangelii complexum, per viros θεοπνεύστους nobis communicatum referant. *Legem* in vniuersum esse doctrinam diuinitus reuelatam, quae doceat, quid iustum Deoque gratum sit, et diuidi in *Mosaicam*, vel *positiuam*, a Christo abrogatam (2 Cor. III, 7. Col. II, 14.), et *moralem*, quae immutabilem Dei voluntatem reuelet et per euangelium illustretur atque declaretur (Matth. V, 17.). *Euangelium* autem esse concionem de poenitentia et remissione peccatorum (Marc. I, 4. Act. XX, 21.); in specie autem doctrinam de gratia diuina per Christum nobis parta et fide consequenda (Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47.); quae ne in legem iterum transformetur, magnopere obtestantur libri symbolici [b]). Verbum Dei in vtroque foedere obuium instructum esse vi, non morali, sed supernaturali ad hominem illuminandum et conuertendum, quae nitatur vnione mystica cum spiritu sancto (1 Cor. II, 4. 13. Ioh. VI, 63. Hebr. IV, 12.) [c]).

a) *Artic. Smalcald.* de confessione, p. 331 sq. Conf. solid. declar. p. 828 sq.

b) Apolog. Conf. p. 83 sq. epitome articulorum pag.

591 sq. solid. declarat. de lege et euangelio p. 709 sq. *Chemnit.* loc. theol. II, 2 sq. 552 sq. *Reinhard's* Dogmatik. §. 150.

c) *Calou.* system. tom. X. p. 1 sq. *Quenstedt* tom. II. p. 926 sq. *Walch's* Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Lutherischen Kirche, tom. I. pag. 524 sq. de controuersia cum Rathmanno.

§. 163.

Vberior huius doctrinae tractatio. De verbo Dei naturali et rationali.

Quae quidem omnia quamuis haud sine acumine disputata sint, negari tamen nequit, nonnulla ad hanc doctrinam addi posse, cum *naturae* verbi diuini, tum *discriminis* inter legem et euangelium, tum denique et *vis*, qua operari solet verbum diuinum, ratione habita. Ad *naturam* enim verbi diuini quod attinet, docemus, notionem eius absolui *complexu earum doctrinarum, quas ceu decreta voluntatis diuinae venerari argumentis idoneis cogimur*, siue e consideranda *rerum natura*, vel *sana ratione*, vel *libris sacris* deriuentur. De *natura rerum*, quae in oculos incurrit, testantur auctores sacri, eam loqui sapientiam numinis, quae homines ad recte viuendum excitet (Psalm. VIII, 4 sq. XIX, 2 sq. Rom. I, 19.). *Rationi sanae*, vel conscientiae regulam aeternam mentis diuinae impressam esse, patet, cum ex auctoritate scripturae sacrae diserta

(§. 16 s.); tum e natura veritatis qualiscunque, quae ad solam rationis normam examinari et in vsus nostros conuerti potest (Ioh. VII, 17. Rom. XII, 2.); tum denique ex ipsis virorum, qui sacra nostra repurgauerunt, testimoniis, quibus ad verbum Dei aeternum, idque non scriptum, prouocant [a]). At enimuero quum ratio humana, quae sine experientiae auxilio facultas nuda est, institutione aliena demum excoli debeat, clarum est etiam, verbi interni, quod vni, vel alteri e sapientibus inesse putamus [b]), persuasionem imbecilles facile ad fanaticas opiniones abripere posse [c]), ideoque auctoritatis externae beneficio quam maxime indigere.

a) Apologia confessionis Augustanae mentionem iniicit *legis aeternae et longe positae supra omnium creaturarum sensum et intellectum* p. 84. *Melanchthon* in examine eorum, qui audiuntur ante ritum ordinationis (loc. th. p. 695.), docet: *legem moralem esse aeternam et immotam sapientiam et regulam iustitiae in Deo, patefactam hominibus in creatione et postea saepe repetitam et voce diuina declaratam.* Adde locum *Kantii* de reuelatione Dei interna externae iudice et indice: Vorlesungen über die philosophische Religionslehre. Leipzig 1817. p. 201 ss.

b) Σοφοὺς θείους εἶναι, ἔχειν γὰρ ἐν ἑαυτοῖς οἱονεὶ θεόν. Τὸ γὰρ ποιοῦν, τὸν ἐν αὐτοῖς λόγον εἶναι τὸν θεόν. *Zeno* apud Diogen. Laert. lib. VII. c. 1. p. 64 et 68. Conf. *Arriani* dissert. in Epictetum ed. Upton. pag. 412. 457.

c) Conf. historiam errorum *Schwenkfeldii*, *Anabaptistarum*, *Weigelii*, *Boehmii*, *Foxii*, et aliorum apud *Planckium* (Geschichte des p. LB. t. V. p. I. p. 171 sq.), *Barclaium* (Apologie der christl. Gottesgelahrtheit, pag. 45 sq.) et *Walchium* in libro excitato passim. Adde *Episcopium*, qui egregie hanc controuersiam dirimit in commentatione singulari; opp. edit Amstelod. t. I. pag. 372 sq.

§. 164.

De verbo externo et discrimine V. et N. T.

Magno itaque beneficio adfecit nos prouidentia diuina per *verbum externum*, vel *complexum veritatum salutarium, quas per Mosem et prophetas, Christum ei apostolos nobiscum communicauit.* Quamuis enim his libris reliquae institutiones diuinae (§. 155.) haud secludantur, neque etiam omnia in eis obuia sensum diuinum exprimant (1 Cor. VII, 6 sq.); sententias tamen continent quamplurimas, quod ad originem et argumentum, diuinas et ecclesiam Christianam sibi ita adligatam habent, vt religionis publicae lineamenta ducant, lites subinde orientes componant et lectores ad veram perfectionem ingenii et animi in dies magis prouehant (Ephes. IV, 13 sq.). Cauendum est tamen, ne euangelium a lege sola remissionis peccatorum doctrina, de qua iam prophetae bene docuerunt, differre putemus. Verum enim vtriusque foederis *di-*

scrimen hoc est, vt religionem Mosaicam *institutionem legis positiuae et imperfectae cum cultu Dei externo et arbitrario*, religionem Christianam autem *institutionem legis moralis perfectae et cultus Dei interni atque spiritualis* (Matth. V, 17. Ioh. IV, 23 sq.) continere persuadeamur. Quae cum ita sint, patet vltro, libros nostros sacros ita semper tractandos esse, vt secundum hanc V. et N. T. differentiam, eamque ipsam, ad quam Paulus iam ablegauit (2. Tim. III, 15 sq.), coelestis veritatis notam, verba diuina et humana forte in iis obuia cautissime separentur.

Töllner's kurze vermischte Aufsätze, tom. II. pag. 84 sq. *Hufnagel:* die Schriften des A. T. nach ihrem Zweck und Inhalt bearbeitet. Erlang. 1784. *Reinhard's* Dogmatik, ed. II. §. 152.

§. 165.

De vi et efficacia verbi diuini.

Restat, vt *vim* et efficaciam notemus, qua verbum diuinum animos hominum tangere et adficere solet. Hanc autem ab vnione scripturae sacrae mystica cnm spiritu sancto deriuandam esse non censemus, tum propter obscuram rei notionem, tum etiam propter scripturae et literarum naturam symbolicam, quae arbitraria est et ab ingenio diuino aliena. Facilior est sententia, qua doctrinis, religionem continentibus, vim diuinam et hominibus superiorem inesse statuitur (Matth. VII,

29. Ioh. III, 21. VII, 46.); quam si psychologice consideres, rationalem, si theologice spectes, coelestem et supernaturalem esse vix negaueris. Posteriorem denominationem amplectuntur scriptores sacri (Rom. I, 16. 1 Petr. I, 23. Hebr. IV, 12.), a quorum iudicio cur discedendum sit, non intelligimus.

Spalding vom Werthe der Gefühle im Christenthume, p. 69 sq. *Döderlein-Iunge*, t. XII, 438 sq.

§. 166.

II. De sacramentis doctrina biblica in vniuersum.

Neque tamen verbo diuino solum credentibus obtingere docetur gratia euangelica, sed *sacramentis* etiam (§. 159.) quae in vniuersum spectata *mysteria* sunt *visibilia*, hoc est *actus solennes ad religionem pertinentes* [a]). Referunt autem in numerum eorum e V. T. *circumcisionem* (Gen. VXII, 15 sq.), sobolis procreandae (Act. VII, 8.), vel munditiae causa [b]) primum susceptam, quare vel Paulus de diuina eius origine dubitauisse videtur (1 Cor. VII, 19.); et *agni paschalis* mactationem (Exod. XII, 1 sq.), cui et sacrificia nonnulla facile addere potuissent [c]). Sub initia nouae religionis Iesus instituit *baptismum*, vel sacramentum initiationis; sub vitae finem autem addidit *coenam sacram*, vel sacramentum confirmationis.

Hac enim *sacramenti* voce insignitum est institutum Iesu vtrumque, ad *mysterii*, quod ei inesse putabatur, sanctitatem exprimendam [d]), hac tamen lege, vt hoc nomine et alii subinde actus ecclesiastici distinguerentur, e quibus *poenitentiam* et *ordinationem sacerdotum* vel nostrorum adhuc sacrorum emendatores in sacramentorum numere habuerunt [e]). Neque inficias imus, si res ex arbitrio ecclesiae constitui deberet, *tria* percommode numerari posse sacramenta, *initiationis* in fide, vel baptismi, *confirmationis*, vel sacrae coenae, atque *redditionis animae in manus domini* (Act. VII, 56. 2 Tim. I, 12.)[f]). Nouis tamen sacramentis, vel postliminio reductis, auctoritas debita aegerrime accrescet [g]).

a) Signis enim atque symbolis insinuari debet mentibus hominum veritas coelestis, quia nunquam nuda, sed ubique plena et efficax est. Neque deprehenditur facile doctrina quaedam coelestis, quin signum ei respondeat in visibili rerum natura (*Alex. de Sdourza* considérations sur la doctrine de l'église orthodoxe. Stuttgardt 1816. p. 82 s.). Cauendum est tamen, ne omnibus signis, vel symbolis vim sacramentorum inesse putemus, de mira eorum in nostra ecclesia paucitate desiderio quodam poetico queribundi (*Göthe* aus meinem Leben, in s. Werken. Stuttgardt 1829. t. XXV. p. 117—122.).

b) Ab Aegyptiis, qui genitalia primum καθαριότητος ἕινεκεν mutilauisse dicuntur, circumcisionem ad Phoenicas et Syros transiisse, *Herodotus* (l. II.

c. 102 et 125. ed. Wesseling.) et *Diodorus Siculus* (I, 28. III, 31.) tradunt. Quare Abrahamum ipsum hunc morem ab exteris mutuatum esse volunt: *Fundgruben des Orients.* Wien 1809. B. I. S. 65. Conf. *Tournefort* voyage du Levant. Amsterdam 1718. tom. II. p. 40. cum libro: *Cook's* dritte Entdeckungsreise, übersetzt ven *G. Forster.* Berlin 1787. t. I. in 4. p. 280.

c) *Gerhardi* loc. theol. ed. Cottae, t. IX, 6 sq.

d) Vide versionem vulgatam ad Ephes. V, 32.

e) *Apolog.* conf. p. 167. 200. et *Melanchthon* de numero sacramentorum in hoc theolog. 515—517. Alio loco etiam coniugium sacramentis adnumerari posse contenderat (Unterricht wider die Lehre der Wiedertäufer, in Lutheri opp. Walch. t. XX. p. 2156.).

f) *Sacramentum exeuntium* adpellat *Bellarminus;* cui ne temere patrocinari videamur, aduersarium simul sistimus longe doctissimum, *Ioh. Dallaeum* de duobus Latinorum ex vnctione sacramentis. Geneuae 1659. de extrema unctione, c. IV. p. 79.

g) Conqueri enim vel e nostratibus nonnullos de paucitate sacramentorum videsis in libro: *Aus meinem Leben*,. Wahrheit und Dichtung, von *Göthe.* Tübing. 1812. t. II. p. 179 ss.

§. 167.

Doctrina ecclesiastica de sacramentis.

Serius tamen *sacramenti* notionem ita constituerunt, vt sit *actus solennis a Deo institutus, quo per symbolum in credentes, qui in*

eius societatem veniunt, *gratia divina confertur.* Distinguunt *materiam coelestem*, vel gratiam diuinam; et *terrenam*, rei spiritualis ὄχημα, quam utramque *vnione mystica*, vel sacramentali coniunctam esse monent. Pertinet autem ad plenam sacramenti *administrationem* recitatio verborum institutionis, dispensatio symboli et acceptio, qua re differt a *sacrificio*, cuius nomen improprie demum in sacramentum quadrat. *Finis* sacramentorum non hic est, vt ex opere operato iustificent, sed oblatio gratiae euangelii, nota professionis fidei inter homines, et coniunctio animorum ad amorem mutuum.

August. Conf. de vsu sacramentorum, p. 13. *Apolog.* conf. p. 156 sq. de sacrificio p. 253. Historie des Tridentin. Concils von *Sarpi*-Rambach. Th. II. p. 526. *Pallavicini* hist. concil. Trident. l. IX. c. 7. *Chemnitii* examen concilii Tridentini. Francof. 1707. p. 272 ss. *Calou.* system. tom. IX. p. 88 sq. XI, 58 ss. *Quenstedt* t. II. p. 1031 sq. *Reinhard's* Dogmatik, ed. 2. §. 154.

§. 168.

A. *Doctrina biblica de baptismo.*

Lotiones corporis a populis orientis iam ab antiquissimis inde temporibus cum religione coniunctas fuisse, multa V. T. loca docent (Gen. XXXV, 2. Exod. XIX, 10—14. 2 Reg. V, 14.) [a]). Post reditum e captiuitate Babylonica non gentiles solum

in semiiudaeos conuersi [b]), sed singularum etiam sectarum inter Iudaeos discipuli lustratione sacra initiati sunt (Iudith. XII, 8.) [c]). Quapropter Iesus sub initium muneris sui non se ipsum solum baptizari voluit (Matth. III, 13.), sed discipulos etiam suos, apostolis forte exceptis, omnes hunc ritum subire iussit (Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16.), hac nimirum lege, vt suam religionis doctrinam profiteantur (Matth. XXI, 25. Act. VIII, 12. 37. XIX, 5.), eique debitam obedientiam spondeant (Rom. VI, 3 sq. 1 Petr. III, 21.). Docent quidem auctores sacri, baptismo remissionem peccatorum (Act. II, 38.), mentisque renouationem (Ephes. V, 26. Tit. III, 5.), tanquam gratiae diuinae documenta, adiunctas esse, ita tamen, vt haec beneficia magis a fide (Marc. XVI, 16. Ioh. III, 5.) et conscientiae puritate (1 Petr. III, 21.), quam ab externo baptismi ritu pendeant [d]).

a) Vide locum memorabilem in *Apuleii* metamorph. l. XI. init. et *Baueri* gottesdienstl. Verfassung der Hebräer, I, 391. De lustrationibus in mysteriis Eleusiniis nota res est. Vide *Potter's* griech. Archaeologie, übers. von Rambach, I, 856. Neque alienum est vetus Hemerobaptistarum, quod *Eusebius* notauit (Histor. eccles. IV, 22.), lauacrum religiosum.

b) De baptismo proselytorum loca collegit *Seldenus* de synedriis Iudaeorum, lib. I c. 3. *Danzius* in dissertatione de baptismo proselytorum (in *Menschenii* N. T. ex Talmude illustrato, p. 133 sq.) *Lundius* in den iüdischen Heiligthümern, Ham-

burg 1711. pag. 847. *Bodenschaz* in der kirchl. Verfassung der Iuden, t. IV. p. 70. Adde *Gerhardi* locos IV, 68 sq. et librorum h. *Ziegleri*: theologische Abhandlungen, II, 132 ss. *Baptismum* itaque, hoc est actum quendam initiationis externum, Christiana religione antiquiorem esse, frustra negatur. *Bengel* über das Alter der iüdischen Proselytentaufe. Tübingen 1814. *Schneckenburger* über das Alter der Proselytentaufe. Berlin 1828.

c) *Calvoer* rituale, Vol. I. pag. 193 sq. *Herder's* christliche Schriften. Samml. V. p. 135 sq. M. biblische Theologie, tom. III. p. 52 sq.

d) Refutatur itaque vel hoc loco iniusta *Iuliani* criminatio, apud *Cyrillum Alexandrinum* contra Iulianum, l. VII. ed. opp. Auberti t. VI. p. 245.

§. 169.

Doctrina ecclesiastica de baptismo.

Exinde nata est doctrina ecclesiastica de *baptismo*, quem *actionem diuinitus institutam esse* docent, *qua peccatori nato et vivo* a), *et nomen patris, filii et spiritus sancti profitenti per aquam gratia diuina offertur et adplicatur. Materia* baptismi *terrena* est aqua naturalis pura; *coelestis* spiritus sanctus (1 Cor. VI, 11.), vtraque per verbum institutionis mystice vnita (Ephes. V, 26.); *forma* autem cum immersio corporis, vel adspersio et adfusio, quam iam in locis nonnullis N. T. (Act. II, 38. XVI, 15.) inuenire sibi videntur, tum pronuntiatio verborum institu-

tionis (Matth. XXVIII, 19 sq.). *Baptizandi* autem sunt Christiani omnes (Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16.), non solum adulti, sed *infantes* etiam, *cum* quod vel ad eos pertineat promissio salutis, quae extra ecclesiam non est; *tum* quod cum peccato nati sine remissione peccatorum haeredes vitae aeternae fieri nequeant; *denique* propter mandatum Christi vniuersale et promissionis cum signo coniunctionem arctissimam. *Finis* baptismi est vel *internus*, collatio gratiae euangelii per fidem obtinendae (Gal. III, 27.); vel *externus*, coniunctio cum corpore Christi, hoc est, ecclesia (1 Cor. XII, 13.). Rite peractus, tum propter foedus Dei immutabile (Ies. LIV, 10.), tum propter vnitatem regenerationis (Ephes. IV, 4.), *iterandus non est* [b]).

a) Non autem infanti in lucem nondum edito. *Gerhard.* t. IX, 209. *Denn Niemand kann wiedergeboren werden, so noch nicht geboren ist. Solche Geburten muſs man Gott im Gebet empfehlen. Lutherus* in opp. XXI, 1254. 1289.

b) *Cyrilli* Hierosolymitani catech. XIX — XXI. *August. conf.* art. IX. *Artic. Smalcald.* p. 329. inprimis *Catechism.* mai. de baptismo, p. 554 sq. *Melanchthon* loc. theol. de baptismo infantium, pag. 521 sq. *Chemnit.* loc. t. III, 358 sq. *Calou.* system. tom. IX. p. 183 sq.

§. 170.

Vberior tractatio; discrimen inter Iohannis et Iesu baptismum.

Priusquam autem haec institutio curatius examinetur, considerandus erit baptismus Iohannis [a]), quem nonnulli e theologis nostris [b]) propter institutionem diuinam (Ioh. I, 33.) et remissionem peccatorum inde deriuatam (Matth. III, 7. Marc. I, 4.) haud sine probabili ratione pro diuino habendum et eiusdem cum lustratione Christianorum dignitatis esse contenderunt. At enimuero, quum Iohannes baptista ipse admodum modeste de lauacro suo sentiat (Matth. III, 11. Ioh. I, 26.), et Paulus nonnullos de discipulis eius nouo baptismo perfundat (Act. XIX, 5 sq.) [c]); clarum videtur nobis, baptismum doctoris huius Nasiraei in Sabiorum magis, quam Christianorum ecclesia loco sacramenti habendum esse [d]). Differt enim ab eo baptismus a Iesu institutus, quem *actum initiationis* esse docemus, *ex mandato Christi, intercedente professione fidei et aquae vsu, administrandum, ad obtinendam communionem ecclesiae externam et gratiae diuinae internam,* non auctoris solum dignitate, sed maiori inprimis doctrinae, cui animos adligare debet, praestantia (Matth. XI, 11. Luc. VII, 28.), ideoque mandati vere diuini auctoritatem prae se ferre putandus est.

a) Cfr. *Iosephus* Antiq. XVIII. 5, 2. vit. auct. §. 2. deinde, post *Norbergii*, *Walchii*, *Tychsenii* com-

mentationes, librum *Schmidtii*, Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. p. II. p. 266 sq. et *Stäudlini* Beiträge zur Religionsphilosophie etc. tom. V. p. 43 sq.

b) *Melanchthon* (loc. theol. pag. 517.), *Gerhardus* (loc. IX, 101 sq), *Buddeus*, *Ernesti*, *Michaelis* et alii. Conf. *Döderlein - Iunge* XII, 511 sq.

c) Hoc enim loco re ipsa testatur apostolus, baptismum Iohannis fuisse solummodo lustrationem *moralem*, diuinitus quidem institutam, sed propter defectum fidei (Marc. XVI, 16.) *dono gratiae*, vel sacri spiritus carentem (Act. XIX, 7.). Nequit igitur sacramenti loco haberi, cuius nota principe destituta erat. Adsentientem habemus P. *Lombardum* sentent. l. IV. dist. 2. Apollos certe, neque a Paulo, neque ab Aquila Christiano lauacro tinctus (Act. XVIII, 24—28.), in contrariam sententiam excitari non potest; melior enim institutio iam apostolis baptismi loco erat. Egregie *Lutherus:* das Gesetz hat eine Taufe des Fleisches, *Iohannes eine Taufe der Busse* (Verzweifelung), *Christus aber eine Taufe der Gnade.* Opp. X, 2613.

§. 171.

De vi baptismi.

Vim baptismi hanc esse docent (§. 167.) vt homines, prophtereaque et pueros saluos faciat per fidem, qua a Deo per spiritum suum donantur [a]), et quam, nisi distinctam et reflexam, implicitam tamen esse statuunt (Matth. XVIII, 3 sq.) [b]). At enimuero, quum, quid sit formula, *aqua verbo*

Dei inclusa, non facile intelligamus; fides autem qualiscunque apud recens natos, qui ratione et distincta conscientia sui destituti sunt, locum habere vix possit; tutius esse videtur, in sententia Christi, rite explicita, subsistere, *saluum fore quemcunque, qui lustratione sacra ad fidem nouae religioni habendam initiatus sit* (Marc. XVI, 16.). Quamuis itaque *externa* baptismi beneficia, quae ad societatem Christianam spectant, ad omnes baptizatos pertinere haud negaueris, vim tamen huius lustrationis *internam* inprimis a religionis vinculo, quo conscientiam fide cum Deo coniungit (1 Petr. III, 21.), pendere iudicabis [c]).

a) Catechism. mai. p. 539 — 45. Mirari licet, *Lutherum*, qui in baptismo fidem infantum viris equis vrget, in circumcisione Israelitarum tamen admisisse fidem testium (sie werden durch *fremden Glauben* gerecht): opp. XIX, 1721. Cf. *Gatakeri* cum Wardio disceptationem *de vi et efficacia baptismi infantilis*, in calce opp. criticorum. Traiecti ad Rhen. 1698. p. 90 ss.

b) *Hermanni Witsii* miscellan. sacra t. II. 614 sq. *Doederlein* institut relig. Christ. ed. V. tom. II. p. 722 sq. Conf. *Mori* commentarium exegetico-historicum in suam theologiae Christianae epitomen edit. *Hempelii* Vol. II. p. 509 sq.

c) Libri sacri enim longe absunt a superstitione, cuius vestigia inuenimus in veteri et noua huius sacramenti administratione, et in cuius societatem vel Iudaeos suspendio in furca interemtos adhuc venire voluerunt. *Schudt's* Iüdische Merkwürdigkeiten. Frankfurt 1714. p. II. append. p.

139. Adde *Schroeckh's* christl. Kirchengeschichte seit der Reformation, tom. III. pag. 683. *Perrin* voyage dans l'Indostan. Par. 1807. t. II. p. 129 sq. 223 sq.

§. 172.

De baptismo infantum et repetitione lustrationis sacrae.

Lucem adfundunt simul haec argumenta doctrinae nostris diebus iterum agitatae de *baptismo infantum* [a]), quem, nisi argumentis supra in medium prolatis (§. 169.), hac tamen ratione defendi posse existimamus, vt eum in N. T. nuspiam reiici [b]), a Christiana potius antiquitate commendari [c]), parentes naturales et spirituales paruulorum officiis in se susceptis grauibus adstringere [d]), infantibus lauacro sacro oblatis iura et beneficia magni momenti conferre, et omnes, qui huic lustrationi intersint, piis sensibus adficere statuamus [e]). Quamobrem non in paruulis solum, sed in iis etiam, qui Christi doctrinam semel professi sunt, baptismum *repeti* superuacaneum esse iudicamus, cum propter subsequentem adolescentium confirmationem; *tum* propter firmissimam Dei promissionem (2 Tim. II, 13.); *deinde* etiam propter sacramenti initiationis naturam, quae iteratione haud eget [f]).

a) Ueber die Taufe. Leipzig 1802 sq. et in contrariam partem *Eisenlohr's* historische Bemerkungen über die Taufe, Tübingen 1804. *Döderlein*.

Iunge, XII, 547 sq. *Eckermann's* Handbuch IV, 323 sq.

b) Quamuis enim dicta Rom. VI, 3 s. 1 Petr. III, 21. infantum lauacro christiano parum fauere videantur, declarauit tamen saluator optimus tenerrimum erga infantes amorem atque adfectum Matth. XIX, 13 s. Marc. IX, 36. X, 13 s. Luc. XVIII, 15.

c) *Irenaeus* adu. haeres. l. II. c. 39. „Omnes venit per semet ipsum saluare, qui per eum in Deum renascuntur, *infantes* et *paruulos* et *pueros*, *infantibus infans factus*, *paruulis paruulus*." Inest tamen huic loco ambiguitas quaedam. *Tertullianus* (de baptismo c. XVII.) *paruulorum baptismi* mentionem iniicit quidem; suadet tamen cunctationem atque iubet eos ad lauacrum sacrum accedere, dum *discant* et *adolescant*. Adde disertius de paedobaptismo testimonium apud *Cyprianum* (epistol. 64.) et narrationem *Socratis* (H. E. I, 15.) et *Sozomeni* (H. E. II, 17.) de pueris ab Athanasio per ludum baptizatis, religionem tamen suscipientibus. Infantes itaque omnis aetatis iam antiquitus ad baptismum admissos fuisse, nemo negabit; fuere tamen semper nonnulli e doctoribus, qui hunc ritum improbarent, ad apostolorum exemplum prouocantes, de quorum lustratione sacra, si a Paulo discesseris (Act. IX, 18.), in N. T. nihil traditur. Cf. b. *Münscheri* Handbuch der christl. Dogmengeschichte. B. II. §. 234 ss.

d) Vide *Melanchthon* l. c. p. 522. *Chemnitii* exam. concil. Trid. p. II. l. II. s. 10. *Witsii* miscell. sacr. tom. II. p. 480. *Vitringa* de fundamentis et rationibus paedobaptismi Christiani, in obseruat. sacr. Vol. I. pag. 318 sq. *Walchii* historia

paedobaptismi sec. IV. prior. Ienae 1739. *Guil. Wallii* historia baptismi infantum cur. *Schlosser.* Bremae 1748. p. 58 ss. *Starck's* Geschichte der Taufe. p. 85 sq.

e) *Troschel*, die Wassertaufe der Christen ein Gesetz Christi. Berl. 1774. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 66.

f) *Jus. Canon* decreti p. II. quaest. I. c. 46. 47. de haereticorum sacramentis.

§. 173.

Ritualia baptismi.

Addimus pauca de *ritibus* huius sacramenti, primum de *administratione* ipsa, quae olim diaconis (Ioh. IV, 2. 1 Cor. I, 14.) demandata nunc rectius doctoribus ecclesiae (1 Cor. IV, 1.) vindicatur, causis, quae olim baptismi maturationem flagitarent, maximam partem e medio sublatis. Deinde clarum est, homines non mortuos (1 Cor. XV, 29.), sed *viuos* tingi [a]), res autem inanimatas qualescunque Deo nunquam per baptismum offerri debere [b]). Eadem ratione patet, *aquae* siue frigidae, siue calidae [c]), purae tamen *vsum*, post immersionem lustrandorum in adsperginem (Ezech. XXXVI, 25.) conuersam [d]), neque plane omitti [e]), neque cum aliis liquaribus commutari posse [f]). *Formulam* baptismi Iesus (Matth. XXVIII, 19.), et apostoli (Act. VIII, 37. X, 48.) praeiuere duplicem, quam tamen noua adhuc ratione variare solent [g]). *Sponsorum* iam Tertullianus mentionem

iniicit [h]); *exorcismum* dualismo tandem aliquando profligato superstitem non fuisse, etiamnum laetitiam excitat [i]).

a) Monstris itaque exceptis omnes, qui humanam faciem animamque vitalem habent, proptereaque etiam bicipites unicorporeos, quales nostra aetate Posonium (auctore *Burdachio*), et nuperrime Londinum et Sassaria, urbs Sardiniae, vidit sacrisque fontibus proluit.

b) *Epiphan.* haeres. XXVIII. *Binghamii* antiq. eccles. t. IV. p. 156 sq. Eiusdem historia scholastica baptismi laicorum in IV. dissertatt. ad origines eccles. Halae 1738. *Schroeckh's* Kirchengeschichte. t. XI. p. 402. *Walch's* Einleitung in die Streitigkeiten der evangel. Luther. Kirche. Th. IV. p. 600.

c) *Luther's* W. XXI, 1350. qui locus insignis est atque facetus.

d) *Suiceri* thes. eccles. voc. κλινικός. *Cyprian.* epist. LXXVI. fin.

e) *Luther's* Bedenken über die Taufe ohne Wasser, in opp. tom. X. p. 2614 sq.

f) *Harduini* disput. *de baptismo in nomine Christi* in opp. selectis. Amstelod. 1709. p. 229. comment. *de baptismo in vino.* ibid. p. 223 sq.

g) *Buddei* instit. theol. p. 1121. *Orsi* de baptismo in nomine Iesu. Mediolani 1733. cum vindiciis libri ib. 1735.

h) De baptismo, c. XVIII.

i) *Kraft's* Historie vom Exercismo. Hamb. 1754. *Calvoerii* rituale I, 200 sq. *Lutheri* opp. X.

2627 sq. *Gerhardi* loc. IX, 305 sq. *Eckermann's* Handbuch, IV, 303 sq.

§. 174.

B. De sacra coena doctrina biblica.

Alterum sacramentum a Iesu Christo institutum est *sacra coena*, quam paulo ante exitum e mundo paschali conuiuio substitui voluit (Matth. XXVI, 18 sq. Luc. XXII, 8 sq.). Obtulit nimirum discipulis, agno paschali iam satiatis, panem vinumque hac lege, vt ille carnis, hoc sanguinis vicem ad sacrificiorum foederis (Exod. XXIIV, 8. Levit. VII, 1 — 18.) similitudinem expleret [a]), et vtroque apostoli in interiorem corporis et sanguinis sui cum maxime immolandi (Matth. XXVI, 26.), ideoque religionis suae (Ioh. VI, 53 sq.) societatem adducerentur [b]). Quum sacrificia foederis repetere haud moris fuisset apud Israëlitas, dubitauerunt nonnulli de mandato Christi (Luc. XXII, 19.) [c]); at enimuero Pauli locus docet (1 Cor. X, 16.), eandem Christi coenam iam ab apostolis in epulum sacrificiale (Exod. XII, 27. XXIII, 18.) eucharisticum conuersum esse, quo ii, qui interfuissent, omnes doctrinam Iesu profiterentur, et mutui amoris vinculo inter se coniuncti, ad instantem proxime, vti credebatur, Christi reditum animos obfirmarent (1 Cor. XI, 26.) [d]). Lucam autem Paulumque hac in re auctoritatem domini secutos esse, docet locus egregius de coena spirituali (Ioh. VI,

48—59), quae cum eucharistia eodem vinculo coniuncta esse videtur, quo verbum Christi internum nectitur sum externo [e]). Spe reditus Christi proxime instantis sensim languefacta, sacrificii et epuli mystici speciem induit sacra coena, qua etiamnum in ecclesia celebratur [f]).

a) *Werenfelsii* dissertatio in verba Domini, *hoc est corpus meum*, in opuscul. theolog. Basil. 1718. p. 185 ss.

b) Hunc enim locum, si ad veram indolem huius sacramenti respexeris, de sacra coena agere non dubitamus, quamuis inuito *Luthero*, qui, ut omnem fanaticis praetextum absciuderet, egregiam instutionem in controuersiae feruore deserere maluit (opp. ed. *Walch.* t. XX. p. 2089 ss.)

c) Eadem verba tamen iam ἐν τοῖς τῶν ἀποςόλων ἀπομνημονεύμασι deprehenderat *Iustinus Martyr:* vide apolog. I. c. 66. et librum *Ruperti* bonae frugis plenum: Des heil. Abendmahls ursprüngliche, bedeutsame und würdige Feier. Hannover 1821. p. 183 ss.

d) *Calvoerii* rituale tom. I. p. 604 sq. M. *biblische Theologie*, t. II, 401 sq. III, 132 sq. Qui ecclesiasticam sacrae coenae repetitionem ab *Essaeorum epulis* repetunt, ad Act. II, 42. et *Ioseph.* B. I. II, 8, 4 sq. prouocare solent.

e) *Die wahre Ansicht des geistlichen Abendmahls*, in m. Magazin für christliche Prediger. Hannover 1821. t. VI. p. I. p. 138 s.

f) *Suiceri* thesaurus ecclesiast. v. κοινωνία. *Ioannes* Damascen. de orthod. fide l. IV. c. XIV. Loca patrum, quae huc maxime spectant, leguntur apud *Ignatium* (epist. ad Philadelph. p. 93. ed.

Vedelii), *Iustinum* Martyrem (apol. I. p. 96. ed. *Thirlb*), *Irenaeum* (adu. haeres. IV, 41. collato fragmento a *Pfaffio* ed. Hagae Com. 1717. 27.), *Origenem* (adu. Celsum l. VIII. p. 399. ed. *Spenceri*), *Cyrillum Hierosolymitanum* (catech. XXII.) et *Chrysostomum* (epist. ad Caesarium monachum ed. ab *Harduino* in opp. select. p. 239 s.). Collegit et digessit loca *Melanchthon*: de sententia patrum de s. coena. Viteb. 1530. Quae nunme dogmati ecclesiae reformatae faueant, videsis collata *Marheineccii* dissertatione *de s. patrum sententia triplici de praesentia Christi in coena domini*. Heidelbergae 1811. p. 9 ss. cum libro *Münscheri*: Handbuch der christl. Dogmengeschichte, t. IV. p. 380 ss. Nobis quidem probabile esse videtur, ante *Ioannem Scotum*, cuius sententiam postea *Berengarius* recoxit, veterum neminem de signo absentis Christi in s. coena cogitauisse.

§. 175.

Doctrina ecclesiastica de sacra coena.

Docetur nimirum, reiecta longa errorum serie [a]), eucharistiam esse *fruitionem corporis et sanguinis Iesu Christi sub pane et vino benedicto ad remissionem peccatorum, recolendam Christi memoriam et fidem confirmandam.* In hac coena *corpus et sanguinem Christi vere et substantialiter fruentibus esse praesentia, idque vi verborum institutionis, adeo, vt corpus et sanguis Christi non tantum spiritualiter per fidem, sed ore etiam, non tamen capernaitice, sed supernaturali et coelesti modo*

sumatur [b]). *Formam* eucharistiae absolui δόσει, quae *benedictionem*, *fractionem* et *distributionem* contineat, atque λήψει, quae *vera* panis atque vini *manducatione* et *bibitione* absoluatur. Seclusis infantibus atque mente captis, *admittendos esse ad coenam sacram Christianos fidei*, quae sola dignos reddat conuiuas, *idoneos omnes*, ideoque et ad facinora delapsos, si poenitentiam egerint, quia finis huius coenae ad omnes Christi discipulos pertinet [b]).

a) *Cyrill.* Hierosolym. catech. XXII. *Epitome articul.* p. 602 sq. Conf. *August. confess.* p. 12 et 23. *apolog. confess.* p. 269 sq. catechism. minor p. 380 sq. *Chemnit.* loc. t. III, 402 sq.

b) *Cyrillus Hierosolymi* tanuo (catech. XXIII. §. 7.): ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοται σῶμα, qua sententia recentiorum μεταβολή, vel μετουσίωσις, iam a *Ratramno* (de corpore et sanguine Christi) reprobata plane secluditur. Cfr. *Schröckh's* Kirchengeschichte, t. XXIII. p. 474 s.

c) *Calou.* tom. X. p. 184. *Quenstedt* tom. II. pag. 1181 sq. *Gerhardi* loci X, 165 sq.

§. 176.

Vberior huius doctrinae tractatio.

Hac autem in doctrina, mysteriorum plena, propositiones singulae ante curatius illustrandae esse videntur, quam iudicium de illa in vniuersum ferri queat. Ponimus autem, sacram coenam,

quae aliis etiam nominibus insignitur (1 Cor. X, 16. 20. 22. XI, 20. 26. Matth. XXVI, 27.), esse *solennem vsum corporis et sanguinis Christi in symbolis externis a Iesu hunc in finem institutum, vt, qui hac coena vescantur, memoriam mortis eius recolant, et impetrata peccatorum remissione in fide et pietate confirmentur.* Pertinet itaque ad hanc notionem primum hoc, vt sacram coenam a Iesu *institutam* (Matth. XXVI, 28. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 28.), eamque *solennem* (Matth. XXVI, 27. Ioh. XIII, 25.) [a]) et *veram* fruitionem *panis* et *vini* (Matth. XXVI, 26 sq.) esse credamus; qua sententia cum *priuata communio*, si ab aegrotis discesseris [b]), tum *missa*, quae Christum ceu sacrificium Deo offert [c]), tum *calicis priuatio* (ποτηριοκλεψία), quae diuisio est sacramenti [d]), et sacrae coenae *vsus* mere *spiritualis* [e]) reiiciuntur et e Christi ecclesia exulare iubentur.

a) Ambigua est quaestio de Iuda apostolo, numne in primae coenae societatem venerit? Matthaeus (XXVI, 23 ss.) et Marcus (XIV, 18 ss.) rem iniudicatam in medio relinquunt; Lucas (XXII, 21.) sententiam adfirmare, Iohannes autem (XIII, 30.) negare videtur. Coenam ipsam enim μετὰ τὸ ψωμίον a Iuda deglutitum institutam esse dubitatione caret.

b) *Ich denke und wollte, daſs die Privatcommunion der Sterbenden allenthalben schlecht abgethan wäre — es ist auch nicht billig, daſs man die Kirche mit den Sacramenten so knechtisch mache. Lu-*

ther's W. XXI, 1300 s. „Um des Exempels willen und anderer Ursachen kann ich's (das Geheimreichen des Sacraments) nicht rathen. Denn mit der Weil mögte es Iedermann so wollen brauchen, daſs damit die gemeine Kirche und Versammlung verlassen und wüste wurde, so es doch ein öffentlich und gemein Bekenntniſs soll seyn." Th. X, 2739 ss. Vide *Buddei* instit. theol. dogmat. pag. 1212 sq. *Calvoerii* rituale I, 763 sq. *Leſs* christliche Religionstheorie. §. 196 sq.

c) Christum pro defunctis (*ὑπὲρ προκεκοιμημένων*) et viuentibus in ecclesia primaeua Deo oblatum esse *ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν χριστὸν ἐσφαγιασμένον*. *Cyrill.* Hieros. cat. XXIII. §. 9. et 10.) in coena sacra, non negamus. Patet enim ex alio loco *Augustini* (enchiridio ad Laurentium c. CX.), per occasionem *oblationum*, e quibus coena confici solebat, etiam defunctis sacrificium *qualecunque* in solamen superstitum paratum fuisse in dioecesi Hipponensi. *Lutherus* ipse concessit hanc oblationem Berolinatibus propter singulare missae desiderium: *was betrifft die Elevation des Sacraments in der Messe, weil solche Ceremonie auch frey ist und dem christlichen Glauben hieraus keine Gefahr entstehen kann, wo nicht ander Zusatz geschieht, möget ihrs in Gottes Namen aufheben, wie lange man es haben will.* An *G. Buchholzer*, Probst in Berlin im Iahre 1539. in opp. XIX, 1252. Sed longe differt sacrificium propitiatorium, quod Christus ipse obtulit semel (Hebr. VII, 27.), a *memoria* huius victimae, quam nostra etiam ecclesia in solemnibus sacrae coenae recolit. Tantum enim abest, ut sacerdos hoc actu *Christi personam suscipiat eiusque corpus et sanguinem conficiat* (Catechis-

mus Romanus, p. II. art. IV. §. 77.), ut potius ipsi apostoli in adhortandis auditoribus de suscipienda reconciliatione per Christum peracta adquiescant (2 Cor. V, 18—20.). Quid quod ipse *Paschasius Radbertus*, transsubstantiationis auctor et vindex, absurdum esse docuit, ut sacerdus in opere missae pro creatore creatoris habeatur, suamque potius μεταβολὴν ad primum Christi mandatum retulit (*Schröckh's* Kirchengeschichte, t. XXIII. p. 454.). Contendimus tamen, Christum, qui se ipsum obtulit patri (Hebr. IX, 24—28.), hic non tanquam sacrificium piaculare re ipsa, sed precibus et mortis eius pia recordatione Deo repraesentari. Videatur *apolog. conf. Aug.* de missa p. 250. et *Pfaffii* dissertatio *de oblatione eucharistiae in primitiua ecclesia vsitata*, ad calcem fragmentorum Irenaei. Hagae Com. 1713. p. 161 ss.

d) Buccellam vino sacro intinctam (ἄρτον ἀποβρεχθέντα. *Euseb.* H. E. VI, 44.), cuius mentio iam apud *Cyprianum* occurrit, aegrotis in antiqua ecclesia sacramenti loco diribitam esse, satis constat. Hic tamen vsus singularis a Iulio pontifice a. 340. publice interdictus inualuit demum sec. X^{mo}. monachorum Cluniacensium auctoritate, quam synodus Constantiensis stabiliuit. *Luther's Sprüche wider das Concil zu Constanz*, opp. XIX, 1699. *Spittler's* Geschichte des Kelchs im Abendmahle. Lemgo 1781. *Conf. August.* p. 21. *de vtraque specie; apolog. conf.* p. 233 sq. *Chemnitii* examen Conc. Tridentini de vtraque specie, pag. 412 ss. et in partem contrariam *Pallavicinii* hist. concil. Trid. l. XVIII. c. 4. *Bossuet* histoire des variations des églises protest. l. XV. ch. 139 s. Idem episcopus in defensione huius libri (*de la*

communion sous les deux espèces) auctor est ecclesiae catholicae, ut protestantibus calicem reddat.

e) *Grotius* de coenae administratione, vbi pastores non sunt. Item an semper communicandum sit per symbola? Londini 1685. in 8. opp. theolog. Basil. 1732. t. IV. pag. 510 ss.). *Planck's* Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs, tom. V. p. 90 sq.

§ 177.

Continuatio.

Alia notionis de sacra coena nota haec est, vt corpus et sanguinem Christi in symbolis externis non dilectione solum, vel efficacia, sed *naturali participatione*, vel *substantia sua*, hoc est, vi reali et interna, non vero specie oculis metienda, vel sensibus percipienda exhiberi vescentibus [a]) statuamus. Noluere multi hunc sensum exsculpi neque e verbis institutionis [b]), a Iesu loco alio satis clare explicitis (Ioh. VI, 51. 63.), neque e verbis Pauli (1 Cor. XI, 24.), qui Iesum eadem ratione, qua cum ecclesia coniunctus est, etiam in coenae symbolis adesse scribit (1 Cor. X, 16. XI, 27.). Testatur etiam historia, ecclesiam in hac doctrina sensim ab vnione mystica primum ad realem, deinde moralem, postremum metaphysicam processisse [c]). Docemus tamen, ecclesiam nostram hac sententia, quae coelesti Christi natura nititur, et contra multas obiectiones [d]) demum praeualuit, ab

aliis Christianorum coetibus differre, eaque hoc sacramentum mysterio recondere, quo sensus pii saepissime prouocari possint, licet non vbique in notiones claras abeant [e]). Talis enim est spiritualis huius sacramenti efficacia, ut communes ratiocinandi et sentiendi leges longe superet, neque ex alia causa, quam *plena* eaque *spirituali Christi praesentia* deriuari queat [f]).

a) Wir lehren, dafs Brod und Wein der Leib und das Blut Christi seien, nicht auf des Dieners Einsegnung, sondern wegen der Einsetzung Christi, der es so will. Und dafs man es essen und trinken, nicht aber in der Speiseschachtel aufheben, oder im Umgange umhertragen müsse; *ob wir uns gleich nicht darum bekümmern, ob in dem umgetragenen und eingeschlossenen Sacrament der Leib Christi sei? Luther* opp. XVII, 2524. Patet itaque, praesentiam corporis I. C. ab vsu vescentium, siue credant, siue non credant, seiungi nunquam deberi.

b) ܗܢܘ ܕܡܝ ܗܢܘ ܦܓܪܝ : quae a versione graeca in voce principe recedunt. Inest tamen, qua sensum, copula articulo ܗܢܘ. Vide *Schaafii* lexic. syr. N. T. ad h. v. Confer et *theolog.* nostr. *biblic.* t. II. pag. 399. Des heiligen Abendmahls ursprüngliche Feier. Hannov. 1821. p. 147 ss. *Steffens* von der falschen Theologie und dem wahren Glauben. Breslau 1823. p. 247.

c) *Formul. concord.* p. 753 sq. *Leibnitii* opp. edit. Dutens, tom. I. p. 30 sq. M. *wissenschaftlich-*

praktische Theologie, p. 257. *Döderlein-Iunge*, XII, 569 sq.

d) In Deo quid sit *quasi corpus*, aut *quasi sanguis*, intelligere non possum, ne tu quidem; sed non vis fateri. *Cicero* de nat. Deor. lib. I. c. 26.

e) *Henkii* lineamenta fidei Christianae, pag. 214 sq. Neque defuere nostris diebus, qui praesentiam Christi per pantheismum declararent: in der Natur erkennt die Vernunft *den ewigen Leib Christi.*" *Schulze's* Reden über die christliche Religion. Halle 1811. p. 305.

f) Egregie *Lutherus*: Der Leib, den du nimmst, das Wort, das du hörst, ist, dafs, der alle Welt in seiner Hand begreift und an allen Enden ist: *da lasse dir an begnügen.* Vom Anbeten des Sacraments an die Waldenser: opp. t. XIX. pag. 1621. Conspirant *axiomata* Philippi Landgrauii Hassiaci ad Melanchthonem 1541. scripta. „II. In sacramento debet esse certitudo. In actione tantum est certitudo. Ergo *tutissimum est*, *actione contentum esse.* III. Praesentia est voluntaria. Non est conversio physica, aut localis inclusio. *Ergo est actionis praesentia.* IV. Deus non est alligandus, ubi se ipse non alligat. Christus non alligauit se ad panem extra usum, quia *adest* propter *hominem*, non propter *panem.* (*Camerarii* vita Melanchthonis ed. *Strobel.* Halae 1777. p. 447 s.)." „Die evangelische Kirche sezt sich bestimmt — denen entgegen, welche dem leiblichen Genusse des Brotes und Weines gar keinen Zusammenhang zugestehen wollen mit dem geistigen des Leibes und Wortes Christi." *Schleiermacher's* christl. Glaube, B. II. p. 554 ss. Quibus *vera* haec corporis et sanguinis Christi participa-

tio (1 Cor. X, 16.) in sacra coena haud suffecerit, isti quidem videant, ne ipsis apostolis in simplici eius fruitione subsistentibus (Matth. XXVI, 26 s.) curiosiores sint, vel audaciores.

§. 178.

Conclusio cum epicrisi.

Tertia huius finitionis nota complectitur finem sacrae coenae, qui *recolenda memoria mortis Christi* (Luc. XXII, 18. 1 Cor. XI, 26), *obtinenda peccatorum remissione et verae pietatis confirmatione ad mutuum amorem fratrum* (1 Cor. X, 17.) absoluitur. Debent nimirum, qui ad hoc epulum admittuntur, omnem Iesu doctrinam, tanquam panem vitae (Ioh. VI, 35. 53), in animi recessus demittere, amorem Christi erga suos (Ioh. XIII, 34.) mente repetere, mortis eius beneficium pie amplecti (Matth. XXVI, 28.), animosque ad sanctitatem ita componere, vt tanto bonitatis diuinae documento digni fiant (1 Cor. XI, 29.) [a]). Omnes itaque sacrae coenae fines in spiritualem animorum cum Christo coniunctionem (Ioh. XVII, 23.) desinunt. Negari nequit, eam, quam olim celebrarunt, coenam domini, ecclesiasticam magis esse, quam biblicam; epulas sacrificiales, allegoricas etiam, aetatis nostrae ingenio non amplius adcommodatas esse; iisque, quae hunc ritum apud veteres circumfundebant, tenebris sacris eucharistiam aegerrime iterum inuolui posse.

Insunt tamen huic solennitati sapienter institutae tanta ad humanitatem, pietatem, mutuumque Christianorum amorem incitamenta, vt ab ecclesiae proceribus summa cura requiri debeant omnia, quae hoc *confirmationis sacramentum* supparibus aetate de nouo commendare queant [b]).

a) *Melanchthonis* loci theolog. de coena domini, p. 525 sq. Hic enim Philippi locus de sacra coena fere totus pragmaticus est.

b) M. religiöse Moral, ed. 4. §. 178. *Stephani's* Winke zur Vervollkommnung des Confirmanden-unterrichtes. Erlang. 1810. p. 257. *Eiusd.* liber: das heil. Abendmahl. Landshut 1811. pag. 91 ss. *Die Offenbarung der Herrlichkeit Gottes in dem Abendmahle unseres Herrn*, in m. Pred. vom Iahr 1814. p. 221 ss.

§. 179.

De ritualibus sacrae coenae.

In doctrina de *ritibus* eucharistiae pugnatum est de *pane* enzymo, et azymo, eiusque figura, cui in Polynesia nuper fructum arboris pani similem substituerunt [a]); nec non de *vino*, quod more antiquo vel aqua temperare, vel lacte et aqua mellita aeuo recentiori commutare ausi sunt [b]). *Consecratio symbolorum* prima (Matth. XXVI, 26.) erat benedictio Iudaica (1 Tim. IV, 4); mox in preces et inuocationem spiritus sancti [c]) conuersa verbis institutionis in nostra ecclesia cedere debuit [d]). *Distributionem* sacrae coenae in eccle-

sia antiqua antecessit fractio panis (1 Cor. X, 17), quam etiamnum nonnulli tuentur *e*); deinde traditio symbolorum in manus eorum, qui communione fruebantur, propter superstitionem inde ortam in nostra ecclesia abrogata. Neque defuere, qui *cummunionem calicis* valetudini infestam esse contenderent *f*), eiusmodi tamen argumentis vsi, quae pericula inde metuenda facile praecaueri et auerti posse docerent. Seculo quinto Christiani sacra coena singulis diebus dominicis vti solebant; Lutherus fideles ter quaterue per annum in societatem eius venire inbebat; in ecclesiis Christianorum minoribus autem tum frequentior, tum rarior vsus eius commendari solet *g*).

a) Die Missionssocietät in England, aus dem Engl. von *Mortimer*. Barby 1800. tom. II. p. 404.

b) *Vinum*, hoc est uuae liquorem aqua temperatum, apud veteres, *Celso* inprimis differre a *mero*, nota res est. Christianis primae ecclesiae praeterea religioni fuit locus Ioh. XIX, 24. Videatur *Iustinus* loco cummaxime excitando, et *Buddeus* de symbolis eucharisticis, in parergis historico-theologicis. *Henke's* Kirchengeschichte, tom. III. pag. 301 sq. Hieme inclementissima a. 1749 uinum consecratum in ipso calice obriguisse gelu adeoque aqua glaciali tinctam fuisse refert *Hasche*: in der Geschichte von Dresden, B. III. p. 158.

c) *Iustini* Mart. apolog. I. c. 93. edit. Thirlb. p. 96. Adde *Cyrillum Hierosolymitanum*, qui diserte docet, spiritum sanctum precibus inuocatum μετα-

βάλλειν τὰ προκείμενα καὶ τὸν ἄρτον ποιεῖν σῶμα χριστοῦ (catech. XXIII. de sacra liturgia). Neque tacendus est *Pfaffius* in diss. *de consecratione veterum eucharistica*: ad calcem fragmentorum Irenaei. Hagae Com. 1715. p. 355 ss.

d) *Epitome articulor.* pag. 599. *Calvoerii* rituale, Vol. I. p. 634 sq.

e) De lectione *κλώμενον* ad h. l. vide libellum: *Herrmann*, Ein Gespräch über die *Vereinigung* der *Lutheraner* und *Reformirten*. Riga und Leipzig 1818. p. 35 s.

f) *Gruner's* Almanach für Aerzte fürs Iahr 1783. p. 87 sq., fürs Iahr 1785. p. 159 sq. Conf. *Gmelin's* Reisen nach Sibirien. Göttingen 1751. t. II. p. 181 sq.

g) *Gennadius Massiliensis* de dogmatibus ecclesiasticis c. 53. *Lutheri* opp. XXI, 1301. *Spangenberg's* Leben des Grafen von Zinzendorf, P. III. p. 664.

PARTITIO VI.

DE ECCLESIA CHRISTIANA.

§. 180.

De ecclesia doctrina biblica.

Homines ad hunc salutis ordinem coniuncti (§. 154.) societate sua constituunt *ecclesiam*, cu-

ius ante Mosem (Exod. XIX, 6. Deut. XXIII, 2—9.) in libris sacris mentio occurrit nulla. Hoc tamen legislatore et auspice formam obtinuit *theocratiae hierarchicae* (Exod. XXVII, 1 sq. XXXIII, 7.), cuius socii leges politicas aeque, ac morales omnes (Exod. XX, 1 sq.) Iehouae nomine promulgabant, reges inaugurabant (1 Sam. X, 1 sq.) et deponebant (XV, 26 sq.), et post cultum Leuiticum cum publica in synagogis institutione coniunctum [a]) rerum ciuilium et spiritualium administrationem constitutione hierarchica in synedrio suo temperabant. Iesus primum, vtraque republica separata (Matth. XX, 25 sq. Ioh. XVIII, 36.), ecclesiam ad hominis interni curam verumque Dei cultum reuocauit (Ioh. VI, 23 sq. Matth. XVI, 18. Luc. XVII, 20 sq.) [b]). Vestigia autem doctoris diuini ita presserunt apostoli, vt, sepositis negotiis politicis, recens conuersos in rempublicam ethicam atque spiritualem conuocarent (Act. II, 41 sq.), quae magistratibus ciuilibus summam quidem obedientiam praestitit (Rom. XIII, 1 sq. Tit. III sq.), in religione tamen externa (Act. XV, 2 sq. 1 Cor. XIV, 1 sq.), disciplina (1 Cor. V, 3 sq.), et institutione publica administranda (Act. VI, 2 sq. XV, 22 sq.) iure suo vsa est, idque, constitutione fere democratica, non ab apostolis solum, sed a totius ecclesiae consensu repetiit.

a) *Vitringa* de synagoga vetere. Franequerae 1696.

b) *Ziegler's* Versuch einer pragmatischen Geschich-

te der kirchl. Verfassungsformen in den sechs ersten Iahrhunderten. Leipzig 1798. Ab ecclesiae enim, hoc est reipublicae externae instituendae, consilio abfuisse non videtur magister diuinus. Vide tamen insignes *Planckii* libros: *Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung.* Hannover 1803. t. I. pag. 13. Ueber die Wiedervereinigung der getrennten christlichen Hauptpartheien. Tübingen 1803. p. 1 — 18.

§. 181.

Doctrina symbolica de ecclesia.

Tantis itaque viris ducibus vsi docuerunt, *ecclesiam esse congregationem sanctorum, in qua euangelium* recte *doceatur et sacramenta rite administrentur. Vnam et catholicam dici, non propter rituum aut traditionum vnitatem, aut politiam rerum externarum, sed quia homines contineat, per totum orbem sparsos* (Ioh. XI, 52.), *qui de euangelio consentiant, eundem spiritum sanctum et eadem sacramenta habeant* [a]). *Hanc societatem non esse monarchiam externam, in qua Romanus pontifex habeat potestatem* ἀνυπεύθυνον, *sed ecclesiam ipsam pollere facultate vocandi, eligendi et ordinandi ministros* [b]). *Hanc potestatem nullo modo cum ciuili, quae ad iustitiam externam spectat, commiscendam, sed ad ecclesiam ipsam, duce euangelio, referendam esse* [c]). *Ecclesiae itaque et ministrorum*

eius interesse, vt perpetua voluntas euangelii consideretur, cerimoniae atque ritus iuxta eam rationem, quae ad aedificationem maxime adcommodata est, mutentur, disciplina ecclesiastica, et boni mores diligenter conseruentur [d]).

a) Contra Pontificios, qui nullam statuunt ecclesiam, nisi visibilem. Vid. *Pallauicini* histor. concil. Trident. l. I. c. 77. §. 6. *Bossuet* histoire des variations l. XV. ch. 1 s. Cum Luthero fecit inter Lutheranos *Zinzendorfius* comes (Leben von *Spangenberg*, I. 173.); neque aliter facile sentire possunt, qui in ecclesia iam plantata nouam hierarchiam condere volunt.

b) Actum est tamen in comitiis Augustanis de iurisdictione episcoporum, inuito quidem Luthero opp. XIX, 802 ss.), Melanchthone autem iis aperte fauente (*Bossuet* l. e. l. V. c. 23.). Sed eodem simul tempore publice adhuc professus erat, ecclesiam euangelicorum *nullo fidei articulo differre ab ecclesia catholica* (conf. Aug. p. 20. ed. Rechenb.).

c) Secundum libros symbolicos (*Aug. conf.* abus. mut. art. VII.) ecclesia euangelica αὐτοκράτειαν habet non ciuilem quidem, moralem tamen, dogmaticam atque liturgicam, quae a principe, nisi summi episcopatus iura sibi habuerit demandata, sine impotentia nunquam poterit adfectari.

d) *Lutheri* disput. cum Eckio de primatu papae in opp. XV, 1070 ss. tractatus singularis de eodem articulo XVI, 2369 ss. *Aug.* Conf. de ecclesia p. 11. *Apolog. A. C.* p. 144 sq. ibid. *de potestate ecclesiastica* p. 292 sq. *Artic. Smalcald.* p. 335.

Catechism. maior. p. 495. *epitome articulor.* p. 614 sq. *Chemnit.* loc. theol. III. tom. II, 395 sq. Adde *Münscheri* Dogmengeschichte, t. II. §. 253. *Alex. de Sdourza* considerations sur la doctrine et l'esprit de l'église orthodoxe. Stuttgardt 1816. p. 106 ss.

§. 182.

De notione ecclesiae in vniuersum, et Christianae in specie.

Patet autem, hanc doctrinam examinari non posse, nisi antea ecclesiae notio in vniuersum fundamenti loco subiiciatur. Nolimus enim adstipulari sententiae Melanchthonis [a]), qui ecclesiam sine Christi notitia fingi non posse existimauit. Si enim homines, ordinata societate ciuili, libertati et felicitati externae prospexerunt, videbis etiam, eos virtutis et religionis amore correptos coire in *ecclesiam*, quae *respublica est, ad verum Dei, legislatoris et iudicis summi cultum, et adminiculorum huc spectantium vsum communem stabilita* [b]). Ad hanc notionem inter omnes, quae in terra existunt, ecclesias proxime accedit *Christiana*, quae *societas est piorum, ad verum Dei cultum duce Iesu Christo et adhibitis ritibus cum euangelio conuenientibus inita*, et in *visibilem* atque *inuisibilem*, *militantem* atque *triumphantem* a doctoribus diuiditur [c]). Nequit tamen negari, ecclesiam qualemcunque, quatenus societatem quandam, vel rempublicam

complectitur, esse *visibilem* et ἀορασίᾳ magis naturam eius internam, quam propriam ecclesiae indolem designari [d]).

a) *Loci theolog.* art. de ecclesia p. 500. Sed *immutabilem* ecclesiae Iudaicae constitutionem, tanquam verae religionis notam iam *Iosephus* multis laudibus praedicat *contra Apion.* l. II. §. 20—32. Adde librum Mendelidae: *Ierusalem.* Berlin 1783. p. 20. ss.

b) Die unveränderliche Einheit der evangelischen Kirche. B. I. Heft I. pag. 1 ss.

c) M. *wissenschaftlich-praktische Theologie.* Göttingen 1797. §. 249 sq. Nolim itaque contendere cum b. *Loefflero* (neues Magazin für Prediger, t. VIII. p. 1. pag. 273.), protestantes *ecclesias* habere, non *ecclesiam.* Si enim theologi hinc inde in diuersa studia scinduntur, intercipitur quidem consensus doctrinae, saluo tamen protestantium pacto sociali.

d) Vulgaris est opinio, ante *Lutherum* neminem cogitauisse de ecclesia inuisibili. Docet autem historia ecclesiae, iam Donatistas sibi placuisse in ista metonymia a patribus orthodoxis haud sine ratione reprobata (vide obseruatt. *Albaspinaei* in *Optatum* Milevitanum editioni opp. huius patris praefixas, Parisiis 1630. p. 5.) In N. T. nullius ecclesiae mentio fit, nisi visibilis (Matth. XVI, 18. Ioh. I, 16. XI, 52. Hebr. XII, 22 s.), neque Melanchthon, qui ciuitates adpellauit *hospitia ecclesiarum*, atque *Calvinus* aliam agnouisse videntur. Vide comment. nostram: *Wahre Beleuchtung der unsichtbaren Kirche*, in der unveränderl. Einheit der evangelischen Kirche. B. II, Heft 1. p. 1 ss.

§. 183.

Constitutio ecclesiae Christianorum primae.

Hanc autem Christianorum ecclesiam primaeuam ita institutam fuisse deprehendimus, vt *primum* Christum, summum eius doctorem (Matth. XXIII, 8.), totiusque regni Christiani caput (Ephes. I, 22. IV, 15 sq. Col. I, 18.) suspiceret, singulis coetibus episcopos, presbyteros (Act. XX, 17. 28. Phil. I, 1. Tit. I, 5. 7.)[a]), et diaconos praeficeret (Act. VI, 2 sq.), quo iure ad tertium usque seculum ἀντιῤῥήτως usa est[b]), et institutionem publicam tum ab aliis, tum ab euangelistis et vatibus (Ephes. IV, 11.) more Iudaico curari iuberet[c]). *Doctrinam* autem ita proponebant ministri verbi diuini, vt euangelii (Luc. XXIV, 27.) puritatem moralem retinerent (Ephes. IV, 14.); in prouincia Iesu Messiana, quamuis diuersa ratione ab apostolis descripta (Ioh. I, 1 sq. Col. I, 15 sq. Hebr. I, 2 sq.), consentirent omnes; et in ritibus demum atque cultu externo (Act. XV, 20. 1 Cor. VIII, 8.) persuasioni suae aliquid darent et singulorum coetuum desideriis prospicerent[d]). *Disciplinam* denique ecclesiasticam ita administrabant, vt infirmis quidem parcerent eosque tolerarent et in rectam viam reducerent (Rom. XIV, 20. Gal. VI, 1.), errores tamen et licentiam morum castigarent (1 Cor. XI, 6. 17—21. Gal. VI, 1.), haereticos et sceleratos ex ecclesia deturbarent, eosquae diris Iudaicis prosequerentur (1 Cor. V, 5.

XVI, 22.). Negari nequit, in hac ecclesiae christianae constitutione vbique fere synagogae Iudaicae vestigia conspici; considerandum est tamen, eam perfectionem summam tunc temporis nondum attigisse (Phil. III, 13.), sed ad eam adspirauisse (Ephes. IV, 11—16.), societatisque tantum primordiis iactis, reliqua aeuo venturo emendanda permittere debuisse [e]).

a) Habemus ordinem hierarchiae apud *Ignatium*: *laici subiecti erant diaconis*, *diaconi presbyteris*, *presbyteri episcopo*, *episcopus Christo*, ὡς αὐτὸς τῷ πατρὶ (epist. ad Smyrnenses ed. Vedel. p. 170.). *Gableri* dissertatio de episcopis primae ecclesiae Christianae eorumque origine. Ienae 1805. Serius metropolitani saltem erant αὐτοκέφαλοι, et patriarcha Constantinopolitanus edicto imperatoris nuncupebatur episcopus uniuersalis. *Bingham* I, 259—62.

b) *Socrates* in historia eccles. l. 1. t. 9. ibique Valesius.

c) *Vitriuga* de synagoga vetere p. 621 sq. De loco Matth. XVI, 18 sq. vide theologiam biblicam tom. III. p. 199 sq.

d) Tertio adhuc seculo haereticorum errores non solum episcoporum, presbyterorum et diaconorum, sed ipsius *ecclesiae* nomine damnantur (*Euseb.* H. E. VII, 30.).

e) *Ziegler* l. c. pag. 3 sq. *Lücke* de ecclesia Christianorum apostolica. Göttingae 1813.

§. 184.

Constitutio ecclesiae nostrae euangelicae.

Ex Christi praecepto enim (Matth. XVIII, 18.) ecclesiae euangelicae seruandae et ad maiorem in dies perfectionis gradum euehendae cura ad posteros etiam, ideoque et nos peruenit, qui, rempublicam ciuilem et ecclesiasticam vinculo quidem felicissimo coniungi posse [a]), finem tamen, iura, officia, et administrationem vtriusque diuersa esse, haud sine ratione contendimus [b]). Docemus itaque, ius ecclesiam constituendi, ministros religionis vocandi, cultumque diuinum formandi non ad certos titulos, vel successionem ordinariam adligatum [c]), sed societati ipsi proprium esse, quae pacto ciuili politiam externam, pacto religioso ecclesiam fundat (1 Chron. XXX, 22. Act. II, 41. IV, 32.), iure sacrorum ad principem delato [d]), siue fundamenta tamen eius posuisse existimanda est [e]). Potestas cum hoc iure coniuncta, quum a singulis sine detrimento ecclesiae exerceri nequeat, delata est ad iudicia ecclesiastica [f]), quibus vt principes regnorum euangelici, summi episcopatus vicem tenentes, praeesse possint velintque, pacis et concordiae causa summopere optandum est [g]). Principibus autem fidei protestantium euangelicae non addictis ius episcopale, vel regiminis ecclesiastici nullo modo tribui, vel ab iis exerceri poterit [h]).

a) Petr. de *Marca* de concordia sacerdotii et impe-

rii. Parisiis 1663. lib. II, c. 1. s. *de finibus potestatis spiritualis et secularis.* Iustus Febronius de statu ecclesiae et legitima potestate Romani pontificis. Francof. ad M. 1763. *Grotius* de iure summarum potestatum circa sacra (opp. theol. p. IV. pag. 303 ss.). M. Abhandlung: *von der Vereinigung der höchsten Staats- und Kirchengewalt nach protestantischen Grundsätzen*, im krit. Iournale der neuesten theol. Literatur. Nürnberg. 1818. t. I. p. 2. pag. 105 ss. *Schuderoff's* Grundzüge zur evangelisch-protestantischen Kirchenverfassung und zum evangelischen Kirchenrechte. Leipzig 1817. p. 17 ss.

b) Potestatis ciuilis et ecclesiasticae discrimen (*Cicero* pro domo sua c. 1) inter gentiles antiquitus constitutum ne *Iulianus* quidem Caesar violare ausus est (epist. Iuliani XLIX. apud *Sozomen.* H. E. V. 16). *Luther's* Unterricht, dafs geistlich und weltlich Regiment wohl unterschieden werden sollen. Opp. tom. X. p. 294 sq. 578 sq. *August.* conf. p. 38 sq. *Greiling's* Hieropolis, ein Versuch über das wechselseitige Verhältnifs des Staats und der Kirche. Magdeburg 1802. pag. 33 sq.

c) In antiqua ecclesia populus neque a iudicandis controuersiis, neque ab eligendis episcopis seclusus erat (*Cypriani* epp. V, XIV, XXXI.). Temporis successu autem potestas ecclesiae concessit in manus episcoporum et papae: *amat enim humana ratio talem picturam ecclesiae, congruentem cum ciuilibus opinionibus, et potentes intelligunt, augeri hac opinione suam auctoritatem, et hanc formam existimant ad pacem vtiliorem esse. Melanchthon loc. theol.* p. 502. Ad Petrum enim apostolum enim quod attinet, praeter prae-

rogatiuam senii et ministerii in fundanda ecclesia (Matth. XVI, 18.) principatum habuit nullum (Gal. II, 6. 11.). Neque eum Romae episcopum fuisse putamus, quia apostolorum erat, constituere episcopos (Tit. I, 5.), non autem eorum officio fungi. *Potior* igitur *principalitas*, quam *Irenaeus* ecclesiae Romanae tribuit (adu. haeres. l. III. c. 3.), Constantinopolitanus autem metropolitanus sibi vindicare solebat (*Binghami* antiquitatt. I, 259.), non episcoporum erat, sed urbium imperialium, quare *Gregorius* adhuc M., seruorum nomine seruus, ut collegae Constantinopolitani impotentiam coerceret, *papae uniuersalis* titulum auersatus est (epistol. l. VI, 30. VII, 30.).

d) Vide librum: Ursprung nnd Geschichte der Consistorien in den chursächsischen Landen. Freiberg 1794. Einleitung. p. XVI. locumque *Lutheri* ibi excitatum.

e) *Luther's* Werke, X, 1794 ss. *Christus vult suum regnum et mundi regna cum suis officiis distincta esse; ideo constitutio ministerii non est subiicienda potestati politicae magistratus. Chemnit.* loc. tom. III, 324 sq.

f) *I. H. Boehmeri* ius parochiale sect. III. c. 1. §. 3 sq. *G. L. Boehmeri* principia iuris canonici, §. 41. *Wiese's* Grundsätze des protest. Kirchenrechts. 2te Ausgabe. Göttingen 1798. §. 362 sq. *Dessen* Handbuch des Kirchenrechts. Leipz. 1802. Th. III. p. 42 ss.

g) *Constantinus* magnus ad Christianorum sacra conuersus non summum solummodo pontificatum suscepit (*Zosimi* hist. l. IV. c. 36.), sed ab *Eusebio* ipso communis Christianorum episcopus

(κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ θεοῦ καθεσταμένος, de vita Constantini l. I. c. 44.) adpellatur. Ipse *Carolus* M. adhuc *episcopus episcoporum* vocatur a Monacho Sangallensi (chron. lib. I. c. 1.). Conferantur *Pufendorf* de habitu religionis Christianae ad vitam ciuilem. Bremae 1696. *Boehmer* l. c. §. 43. Adde librum: *Aphorismen zur Erneuerung des kirchl. Lebens im protestantischen Deutschlande.* Berlin 1814. p. 269 ss.

h) Eine längst entschiedene Frage über die obersten Episcopalrechte der protestantischen Kirche von Dr. *F. Nürnberg*. 1823.

§. 185.

De religionis puritate in ecclesia seruanda.

Horum autem ecclesiae iudiciorum, siue antistitum cura *primaria* haec esse debet, vt cultus Dei moralis (Rom. XII, 1 sq. Ioh. IV, 23 sq.), doctrina pura, sancta et ad finem obtinendum idonea seruetur et in dies magis noua incrementa capiat. Fiet autem hoc tum augenda Dei et veritatis, quae homines saluat (Ioh. VIII, 34 sq. 1 Tim. II, 4.), per viros probos et bene instructos, cognitione, qua superstitio pellatur et prauae consuetudines hominum profligentur; tum exstirpandis erroribus, litibusque obuiis dirimendis, idque non ex arbitrio hominum, qui nouae hierarchiae student, sed *ex sententia congruente cum verbo vere diuino et confessione piorum atque sapientium, siue imperitis impiisque plures*

sint, *siue pauciores* [a]). Placuit itaque hunc in finem, doctores religionis Christianae sacramento adstringere, siue scripto [b]), siue fide coram data, ne quid libris sacris, vel summae eorum in symbolis ecclesiae consignatae contrarium doceant; qua sedulitate omnino errores coerceri et intra officii limites contineri possent [c]), si modo scripta, quae pro symbolicis habentur, diuersa cum verbo vere diuino et confessione eorum, qui nostra aetate pro sapientibus et piis habentur, semper conspirarent et a vitiis manifestis repurgarentur [d]). Veri enim norma aeterna conscientia hominum vnice regi et ad cultum Dei rectum excitari potest [e]).

a) *Melanchthon* l. c. p. 503. Neque alienus est locus insignis in *Iohannis Mülleri* libro: *Geschichte der Schweizerischen Eidgenossen.* Leipz. 1788. t. III. p. 112.

b) Lege imperatoris *Iustiniani* prouisum erat: ἀπαιτεῖσθαι πρότερον τόν μέλλοντα χειροτονεῖσθαι παρὰ τοῦ χειροτονοῦντος λίβελλον μεθ' ὑπογραφῆς ἰδίας περιέχοντα τὰ περὶ τῆς ὀρθῆς αὐτοῦ πίστεως. *Nouell.* CXXXVII. cap. 2. *de ordinatinne episcoporum et clericorum.* Neque ecclesia catholica (inde ab a. 1564) formula iuramenti ad profitendam fidem suscipiendi caret. Vide exemplum eius in *Grotii* opp. theolog. Basil. 1732. t. IV. p. 535.

c) *Meyeri* commentatio librorum symbolicorum ecclesiae nostrae vtilitatem et subscriptionis eorundem historiam exponens. Gotting. 1796. Propter erronum discessiones a sacra doctrina etiam

Reformatorum per Galliam ecclesia ex compromisso ad quatuor delegatorum iudicum sententiam absolutam provocare solebat (Oeuvres de *Bossuet*. Paris 1774. t. III. p. 45.).

d) Notamus in LL. SS. ecclesiae nostrae, ne ἀσύμβολοι ab iis discedamus, nonnulla vitia inhumanitatis (apolog. p. 186 et 223. praef. ad artic. Smalcald. p. 299. edit. Rechenb.), etymologiae (apolog. p. 271. quo loco missa deriuatur a מסה), historiae (conf. Aug. p. 11. 15. apolog. 219.) et inconstantiae (*Lutherus* duo admittit sacramenta, p. 401. *Melanchthon* quatuor, p. 167. 200.), praesertim in variata A. C. editione anni 1540 (art. X.). Quis autem paucis maculis offendatur in tanto horum scriptorum pretio! *Sack's* Lebensbeschreibung von dessen Sohne. B. I. Berlin 1789. p. 367 s.

e) *Greiling* l. c. pag. 108 sq. *Henke's* Magazin für Exegese, Religionsphilosophie und Kirchengeschichte, tom. III. p. 356 sq. IV, 36 sq. *Planck* über den gegenwärtigen Zustand und die Bedürfnisse unserer evangelischen Kirche am Schlusse ihres dritten Jahrhunderts. Erfurt 1817. p. 49 ss.

§. 186.

De ministris et disciplina ecclesiae.

Altera regiminis ecclesiastici cura spectat ad *ministerium ecclesiasticum* a Iesu ipso institutum (Matth. XXVIII, 19.), quod non sacerdotio, sed docendo verbo diuino et administrandis sacramentis absoluitur (Ioh. XX, 23. 1 Cor. XI, 23. Gal. I, 8—12.). Praeficiendi nimirum sunt ecclesiis, qui cognitione religionis, dono docendi, et

vitae integritate (1 Cor. IV, 16. XI, 1. 1 Timoth. III, 1 sq.) inter alios emineant [a]), et more Iudaico (Num. XXVII, 18. 23. Deut. XXXIV, 9.) ad apostolos transmisso (Act. VI, 6. 1 Tim. V, 22.) *ordinatione*, hoc est, manuum impositione cum precibus coniuncta ad nouum munus inaugurentur [b]). *Postremum* cauere debent antistites *disciplina*, ne ecclesia quid detrimenti capiat scelestorum impunitate et peruicacia [c]). Praeiuere apostoli exemplo admonitionis (Gal. VI, 1 sq.), et separationis (1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20.), secundum gradus disciplinae iam in synagoga Iudaica receptos [d]). In nostra ecclesia facinorosi primum admoneri, deinde a sacramento altaris, vltimum ab ipsa ecclesiae communione, donec emendentur et scelera vitent, arceri debent [e]). Dolendum est tamen, hanc disciplinam, qua nulla respublica carere potest et ne Druidum quidem religio inter gentiles caruit [f]), in tantam venisse desuetudinem, vt impietati et licentiae frena laxentur et omnis fere censura morum ecclesiastica auctoritate sua excidat [g]).

a) *Chemnitii* loc. theol. III, 359 sq.

b) Cf. locus insignis Mischnae libr. *Sanhedrin* c. III. et IV. §. 15. *Vitringa* de synag. vet. p. 840 sq. *Eichhorn's* Bibliothek der bibl. Literatur, tom. III. p. 504 sq.

c) Differre autem *disciplinam* a *poena* per Caesareopapatus licentiam bona fide ab egregiis principibus interdum in ecclesiam inuecta (*Eyringii* vi-

ta *Ernesti Pii*, ducis Saxoniae. Lips. 1704. pag. 96 ss.), res ipsa loquitur.

d) *Bodenschaz's* kirchliche Verfassung der Iuden, tom. II. p. 350 sq. *Luther's* Sermon vom Bann. Opp. t. XIX. p. 1088 ss.

e) *Articuli Smalcaldici* art. IX. de excommunicatione, p. 335 sq. *Lutheri* opp. tom. XXII. pag. 953 sq. *Zinzendorf's* Leben von *Spangenberg*, Th. III. c. 5.

f) Si quis, aut priuatus, aut publicus, Druidum decreto haud stetit, *sacrificiis interdicunt:* haec poena apud eos est grauissima. *Caesar* de B. G. VI, 13.

g) *Schröckh's* Kirchengeschichte seit der Reformation. Lips. 1805. t. III. p. 83 sq. M. Fest- und Causalpredigten in der *Vorrede*. Nürnberg 1810. pag. XVIII s. *Aphorismen zur Erneuerung des kirchlichen Lebens in Deutschland*. Berlin 1814. p. 206 ss. *Bretschneider* über die Unkirchlichkeit dieser Zeit im protestantischen Deutschlande. Gotha 1820. p. 167 ss.

PARS QVARTA.

DE

REBVS POST MORTEM FVTVRIS.

PARS QVARTA.

DE

REBVS POST MORTEM FVTVRIS.

SECTIO I.

DE

EXISTENTIA HOMINIS POST MORTEM.

§. 187.

Doctrina V. T. de homine morti superstite.

Hanc tamen, quam hucusque descripsimus, salutem, per Christum obtinendam, non breuem, aut praeterituram, sed ex decreto diuino aeternam esse debere, in libris sacris docemur (Ioh. III, 15 sq. XI, 24 sq.). Testantur nimirum diserte, hominem fato suo fore superstitem, ita tamen, vt hanc doctrinam salutarem imaginibus variis inuoluant, quas a veritate ipsa distinguere maximi momenti est. Traditur enim in libris V. T. *primum*, Deum viros nonnullos sanctos ad se in coelitum domicilia recepisse (Gen. V, 24. 2 Reg. II, 11.).

Deinde docetur, animas, nisi infantum (Hiob. I, 21. III, 16.) Psalm. CXXXIX, 15. Kohel. V, 14) [a]), defunctorum tamen *apud inforos* congregari et singulari existentiae perennitate frui (Gen. XXV, 8. XXXVII, 35. XLIX, 29. Num. XVI, 30. 1 Sam. II, 6. Hiob III, 17—19. X, 20 sq. XIV, 13. XVIII, 14. XXVI, 5 sq. Psalm. VI, 6. XVIII, 5 sq. XLIX, 10. Kohel. IX, 10. Ies. XIV, 9—11. XXXVIII, 9 sq. 18 s. Ezech. XXXII, 21 sq.), quae in libris apocryphis adhuc eis tribuitur (Ies. Sirac. XVII, 25 sq.) [b]). *Postremum* sub exilii Babylonici tempora doctrina de orco, Aegyptiacis forte coloribus tincta (Deut. XXX, 13. Ps. XC, 10.) [c]), allegoriis chaldaicis de *mortuorum resurrectione* (Ies. XXVI, 14. 19. Ezech. XXXVII, 5—10. Dan. XII, 1—3. Hiob XIX, v. 24. alienus est cfr. XIV, 12 ss.) locum cessit, quae notionibus Messianis iunctae, a librorum apocryphorum auctoribus inprimis susceptae et in fidem Israëlitarum publicam sensim conuersae sunt (2 Maccab. VII, 9. XII, 43 sq. XIV, 46.) [d]). Negari nequit, immortalitem animorum a nonnullis scriptoribus V. T. ignorari et ab aliis in dubium vocari (Eccles. III, 20.); in vniuersum tamen patet, Iudaeos sequiores hanc doctrinam perspectam habuisse, eamque in intimam persuasionem conuertisse (Psalm. LXXIII, 23—27. Kohel. XII, 14. Sap. Salom. II, 23. III, 1—4.) [e]).

a) *Zobel* über das Schattenreich der frühern Iuden, in s. *Magazin* für bibl. Interpretation, B. I. St. I.

S. 1 sq. *inprimis* p. 78 sq. *Voss* Antisymbolik. Stuttgart 1824. p. 168 ss.

b) Aegyptiis deberi hanc adumbrationem *Diodorus Siculus* docet in bibliotheca historica (l. I, 51.): τοὺς τῶν τετελευτηκότων τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν, ὡς ἐν ᾅδου διατελλόντων τὸν ἄπειρον αἰῶνα. Adde *Scheidii* dissert. ad canticum Hiskiae. Lugd. Batau. 1769. pag. 29 ss. M. Abhandlung von dem Schattenreiche der Hebräer, in *Paulus* Memorabilien. IV, 188 sq. Bibl. Theologie, tom. III. p. 222 sq.

c) *Lowth*, de poësi Hebraeorum ed. Michaelis, p. 202 sq.

d) Ibid. p. 234 sq. *Henke's* Magazin für Exegese, tom. V. p. 1 sq.

e) Conf. locum insignem apud *Iosephum* de bello Iudaico, lib. VII. c. 8. §. 7.

§. 188.

Doctrina N. T. de vita post mortem futura.

In libris N. T. sententia de animorum perennitate ita proponitur, vt vel simpliciter doceatur (Matth. VI, 20. X, 26. XVIII, 8. XIX, 17 sq. XXII, 32. Ioh. IV, 14, XI, 25. Rom. VIII, 18 sq. 1 Ioh. II, 17. III, 2.), addita lege, hanc vitam tenore continuo necti cum futura (Luc. XVI, 25. XXIII, 36. Act. VII, 59. 2 Cor. V, 1. Phil. I, 23.); vel cum resurrectione corporis in reditu Messiae proxime exspectato adcommodate ad Iudaeorum sententias (Act. XXVI, 6 s.) coniungatur

(Matth. XXII, 30 sq. Luc. XX, 25 sq. Ioh. VI, 40. Rom. VIII, 11. 1 Cor. XV, 3—14. 35—48. 2 Cor. V, 1. Phil. III, 21. 1 Thessal. IV, 14 [a]). In dubia loci, qui alias inter principes relatus est (Ioh. V, 20 sq.), interpretatione [b]), visum est nonnullis, doctrinam de resurrectione corporis non tam a Iesu ipso, quam ab apostolis (1 Cor. XV, 16.) pro diuina haberi et sub diris synagogae Iudaicae (2 Timoth. II, 18.) [c]) proponi: qua de re infra copiosius expositi sumus. Paulus saltem, quamuis vitam meliorem egregie depingat (1 Cor. XV, 46 sq.), *ταυτότητα* corporis tamen e sepulcro olim prodituri adserit (1 Cor. VI, 14) [d]), consentiente Petro, qui ab ipso animorum post mortem *καθαρισμῷ* non longe abfuisse videtur (1 Petr. IV, 6.),

a) M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 248 sq.

b) Ibid. p. 254 sq. *opusc. m. theologica.* Erlangae 1793. p. 53 sq. *Eichhorn's* Bibliothek der biblischen Literatur, t. VI. p. 997 sq.

c) אלו ישראלים שאין להם חלק לעולם הבא האמר אין תחיית המתים: Hi ex Israëlitis vitae aeternae exsortes sunt, *qui negant resurrectionem mortuorum etc.* *Mischnah* tract. Sanhedrin, c. XI.

d) Confer omnino *Chrysostomum* ad h. l. *Elpizon*, Zweite Aufl. Leipzig 1806. p. III. tot.

Summa itaque doctrinae Christianae, quatenus immortalitatem animorum illustrauit (2 Tim. I, 10.), haec est:

1. Mortui coram Deo omnino non sunt (Matth. XXII, 32.);
2. vult enim eos vita donare post mortem propter amorem suum et misericordiam (Ioh. III, 15. 1 Petr. I, 4.);
3. quare hanc promissionem confirmauit resuscitatione Christi (1 Cor. VI, 14.);
4. hanc promissionem si quis *fide* tenet, securus esse potest de vita aeterna (Ioh. XI, 24.).

§. 189.

Doctrina ecclesiastica de immortalitate animorum et resurrectione corporis.

Ab his locis procedentes theologi [a]) docent, post adminicula salutis superesse adhuc viam, qua ad scopum propositum tendamus, duntaxat quatuor novissima, *mortem*, *mortuorum resurrectionem*, *extremum iudicium* et *consummationem seculi*. *Mortem* esse priuationem vitae, lapsum protoplastorum secutam, quae corporis et animae vnionem soluat, eamque ducere ad *immortalitatem*, vel animi corpori superstitis perrennitatem, quam probant *tum* ex animae et corporis diuersitate (Gen. II, 7.); *tum* ex dicto seruatoris, eam occidi haud posse (Matth. X, 28.); *tum* e promissione diserta, eam ad Deum redituram esse (Eccles. XII, 7. Luc. XXIII, 43. Actor. VII, 59. Phil. I, 23.). *Corpus* post mortem corrumpi quidem, in nihilum tamen haud redigi; animas autem neque exstingui [b]), neque dormire [c]), aut

in limbo, vel purgatorio versari *d*), sed in coelum statim, vel infernum abire. Sub finem mundi denique instare *resurrectionem vniuersalem*, siue corporum eorum, qui in hac terra vixerunt, resuscitationem et ad vitam restitutionem (Hiob. XIX, 25. Dan. XII, 2. Matth. XXII, 31. Ioh. V, 28. 1 Cor. XV, 12 sq.); eamque non solum piorum, sed etiam impiorum (Dan. XII, 2. Matth. XXV, 32.) *e*); atque hanc ita comparatam fore, vt *idem numero et substantia corpus*, quod in hac vita portauimus, de supulcro prodeat *f*).

a) *August. confess.* art. XVI. *Quenstedt* tom. II. p. 1698 sq.

b) Quemadmodum statuerunt θνητοψυχῖται et anabaptistae, qui animas cum corpore demum resuscitari debere docuerunt. Vid. *Quenstedt* p. 1721 sq. et *Deylingii* obseruatt. t. II. obs. 2.

c) Ex mente *Psychopannychitarum;* vid. egregius *Caluini* liber *psychopannychia* inscriptus et 1534. contra Anabaptistas editus: *Quenstedt* p. 1745. *Münscher's* Dogmengeschichte, tom. II. p. 422 sq.

d) Sicuti Pontificii docent auctore *Gregorio* M. (dialog. l. IV. c. 40 s.), qui locus est e classicis, et *Bellarmino* de purgatorio, lib. I. c. 1. Vide doctam de h. l. *Kortholti* disputationem in *Leibnitii* epistolis ad diuersos. Lips. 1734. t. I. ep. XXXV.

e) Ita post Iudaeos quosdam, loca nonnulla V. T. (Ies. XLIII, 17. Ier. LI, 38.) praetexentes, etiam *Lactantius* senserat: *homines, qui virtute contemta se desideriis carnis addixerint, cadere et premi in terram*, de opificio Dei, c. XIX. Conf. *Ciceronis* quaest. Tuscul. I, 12.

f) Vide strenuos huius dogmatis propugnatores, *Cyrillum* Hierosolymit. catech. XVIII. et *Ambrosii* librum de fide resurrectionis, c. XI ss. *Münscher's* Dogmengeschichte, IV, 431 ss. Symbolum apostolorum docet simpliciter *resurrectionem carnis*; Aquileiense addidit, *huius* carnis; huic etiam *Ruffinus* fauit (vide symb. eius in opp. Hieronymi ed. Francof. t. IV. p. 68 ss.).

§. 190.

Illustratio huius doctrinae; argumenta animorum perennitatis probabilia.

Quae quidem sententiae priusquam sub examen vocentur, *immortalitatis* et *resurrectionis* doctrinae ante separari debent. Ad *immortalitatem* autem animorum quod spectat, clarum est, eam non ad ad scientiam, sed fidem pertinere, ideoque non geometricis, sed metaphysicis et moralibus argumentis adseri atque vindicari posse [a]). Est enim non *naturalis viuendi necessitas*, quam cum philosophis e naturae humanae indole exsculpere nunquam conabimur, sed *perennitas hominis interni post fata in nouo rerum ordine Dei solius ope reuiuiscentis.* Haec autem argumenta diuidi possunt in ea, quae *probabilitatem*, et in alia, quae euidentiam et *certam persuasionem* gignunt. Ad primum genus refertur probatio *historica*, quae populorum fere omnium consensu nititur [b]); *metaphysica*, quae animam substantiam indiuiduam (ἁπλοῦν καὶ ἀξύνθετον), omnis-

que solutionis expertem (ἀνώλεθρον) eaque superiorem esse docet [c]); *moralis*, quae officii atque virtutis, cui voluntas hominum adstricta est, perpetuitatem vitam quoque immortalem (βεβαίωσιν ἀφθαρσίας Sap. Salom. VI, 19 s.) portendere sumit [d]); et *teleologica* huic adfinis, qua nihil in rerum natura interire, omnia ad maiorem perfectionem progredi (Sir. XVIII, 6.) [e]), planetam nostrum cum astris et sideribus hunc in finem coniunctum, ideoque animum hominum ad summam existentiae perennitatem destinatum esse ponitur [f]).

a) *Krug* über das Verhältnifs der kritischen Philosophie zur moralischen und religiösen Kultur des Menschen. Iena 1798. p. 190 sq.

b) *Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Cicero quaest. Tuscul.* I, 13. Cum de animarum aeternitate disserimus, non leue momentum apud nos habet *consensus hominum*, aut timentium inferos, aut colentium. *Seneca* ep. CXVII.

c) *Wigger's* examen argumentorum *Platonis* pro immortalitate animi humani. Rostochii 1803. *Ciceronis* quaest. Tuscul. I, 27. qui locus princeps est. Aeternum est, a me (Ioue) quod traxit et expers Atque immune necis nullaque domabile flamma. *Ovid.* metam. IX, 252. *Iosephus* l. c. ad §. 162. e. *Augustinus* de immortalitate animae: opp. ed. Basil. t. I. p. 567 ss. *Ficinus* de immortalitate animorum, lib. V. c. 1 sq. *Cartesii* meditationes de philosophia prima med. I. *Clarke* verité de la religion naturelle et chretienne, tom. III. pag. 296. *Mendelssohn's* Phaedon,

Fünfte Ausg. von *Friedländer*. Berlin 1811. pag. 158 ss. *Ierusalem's* Betrachtungen, I, 232 sq. *Reimarus* Abhandlungen. Hamb. 1791. p. 626 sq. Elpizon, oder über meine Fortdauer im Tode. Danzig und Leipz. 1803—1806. Th. IV. *Kant's* Vorlesungen über die Metaphysik. Erfurt 1821. p. 233 ss.

d) *Cicero* de senectute, c. 23. *Lactantius* de vita beata, c. V. IX. et X., qui liber satis commendari nequit. *Kant's* Kritik der praktischen Vernunft, pag. 219 sq. *Iakob's* Beweis für die Unsterblichkeit aus dem Begriffe der Pflicht. Züllichau 1794. p. 230 sq. *Dessen* allgemeine Religion, p. 67 sq. *Dedekind's* Dokimion, p. 104 sq.

e) *Nec perit in toto quidquam, mihi credite, mundo. Sed variat faciemque nouat, nascique vocatur Incipere esse aliud, quam quod fuit ante, morique Desinere illud idem.* Ovid. metam. L. XV, 254 ss. *Regit idem spiritus artus Orbe alio, longae, canitis si cognita, vitae Mors media est. Lucan.* I, 456 sq. *Aonii Palearii* Verulamii de immortalitate animorum, libri III. (elegantissimum aduersus Lucretium poema) in eius opp. ed. *Hallbaueri*. Ienae 1728. p. 631 ss.

f) *Herder's* Ideen, tom. I. p. 20 sq. *Bode's* Kenntniſs des gestirnten Himmels, p. 608 sq. *Mendelssohn's* Phaedon loc. cit. *Platner's* Aphorismen. Leipzig 1795. t. I. p. 625 sq. *Kant's* Naturgeschichte des Himmels, c. VII. p. 117 sq. *Bode's* allgemeine Betrachtung über das Weltgebäude, p. 206 sq. Elpizon I, 202 ss.

§. 191.

Exploratio horum argumentorum.

Haec autem argumenta, quamuis magna probabilitate neutiquam careant, summa tamen euidentia non pollent. Potest enim obiici *primum*, consensionem gentium de animorum perennitate tum reuera non esse perfectam [a]), tum in commentis etiam, de astrologia praesertim et religione, interdum locum habuisse. *Deinde* animae, siue ad Deum redeat, siue in auras coelestes euolet, perpetuitatem immortalitatis nomine haud dignam esse, intercepta nimirum conscientia et repetentia status pristini, quam Deus unice habet vitalem et immutabilem (Ioh. V, 26. 1 Timoth. VI, 16.) [b]). *Postea* virtutis veraeque felicitatis desiderium animo nostro insitum inane et termino suo excisurum esse, si a numinis voluntate et auxilio separetur. De progressu *denique* generis humani ad maiorem in dies perfectionem non ita constare, vt hunc mundum cum sublimiori, vel futuro tam arctis vinculis coniunctum esse statuere possimus. Quae omnia fidem faciunt dicto [c]), *philosophiam*, religionis ope destitutam, tantum *coniecturam aliquam habere de immortalitate quantulamcunque et qualemcunque.* Officium enim a Deo seiunctum magis indefinitum est, quam infinitum (Rom. VII, 2 s.): quare vel morale immortalitatis argumentum adhuc in orbem redire videtur [d]).

a) *Meiner's* Geschichte aller Religionen, edit. 2.

Lemgo 1787. p. 184 sq. *Dessen* allgem. kritische Geschichte der Religionen. Hannover 1807. t. II. p. 748 sq.

b) Conf. *Lucretium* de rerum natura, l. II. v. 298 sq. III, 864 sq. *Senecam* ep. LIV. *Aeneae Gazaei*, scriptoris elegantissimi, dialogum de immortalitate animae, edit. Barth. Lips. 1655. *Pfanneri* theolog. gentil. pur. syst. p. 414 sq. *Kant's* Kritik der reinen Vernunft, p. 414 sq. Confutsius et Otahitae mentes hominum post mortem a numine, vel anima vniuersi absorberi autumant. Vid. *Kämpfer's* Reise nach Iapan, t. I. p. 305. *Cook's* dritte Entdeckungsreise, übersetzt von *G. Forster.* Berlin 1787. tom. I. p. 434.

c) *Melanchthonis* in explicatione euangel. die Paschalis, pag. 519. Secundum *Xenophontem* ipse Cyrus, qui breui ante, ad Deos abeundum esse, somniauerat, sub vitae exitum adhuc dubius haeret, εἰ ἡ ψυχὴ καταλείπει τὸ σῶμα, ἢ ἐν τῷ σώματι συναποθνήσκει. *Cyropaed.* l. VIII. c. 7. §. 3. *Tacitus* vitam Agricolae pie et egregie scriptam hisce verbis claudit: *si quis piorum manibus locus, si non cum corpore exstinguuntur piae animae* (c. 46.). Disertius adhuc *Seneca* (de prouidentia c. V.): contemnite mortem, *quae vos aut finit, aut transfert.* Eadem docet *Butler* of a future Live in libro egregio: *the analogy of religion narural and revealed*, ed. *Halifax.* London 1809. p. 29 ss. Neque meliora dedit auctor libri: *Athanasia.* Sulzb. 1827 et *I. P. Richter* in opere posthumo: *Selina.* Stuttgart 1828.

d) Hoc iam *Pomponatius* viderunt et *Cardanus*, quorum uterque de immortalitate animorum disputauit. Vide *Bayle* dict. v. *Pomponace.*

§. 192.

Argumentum theologicum.

Aliud argumentationis in hac doctrina genus, cui euidentiam certamque persuasionem tribuimus (§. 190.) *theologicum* est (Salomon. Sap. XV, 3.), quod hac absoluitur sententia. *Si Deus sapiens est, sanctus, iustus bonusque mundi gubernator, perennem etiam et immortalem homini per omnia secula seruare debet existentiam; alias enim homo rectius cariturus esset ratione, conscientia et virtute. At enimuero Deus, qui ratione mentem et voluntatem nostram perfectioni infinitae adligat, bonus et iustus est* (§. 67 sq.). *Pendet itaque existentia et vita nostra a Deo, et a nutu eius per omne aeuum pendere nunquam desinet.* Obseruatum autem est in huius argumenti illustratione *primum*, literas sacras nullam docere immortalitatem, quae a fide in Deum diuersa sit (Psalm. LXXIII, 23 sq. Sap. Sal. III, 1 sq. Matth. XXII, 32 sq. Ioh. IV, 14. XI, 25. Rom. VIII, 18 sq.); *deinde*, antiquiorum philosophorum persuasionem fere semper ab hac fide pependisse.

Teste *Cicerone* (quaest. Tusc. I, 16.) Pherecydes Syrus, qui primum dictus est theologus (*Diogen. Laert.* in vita eius), primus etiam docuit, animos hominum esse sempiternos. Apud *Platonem* δημιουργὸς ita compellat homines: οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθε γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοιρᾶς, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δέσμου καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων,

οἷς ὅτ' ἐγίγνεσθε συνεδεῖσθε. *Timaeus* p. 325. ed. Bipont. *Elpizon.* Zweite Aufl. Leipzig 1806. p. II. tot. *Heynig*, die Unsterblichkeit der Seele aufser allem Zweifel. 7te Aufl. p. 156 ss.

§. 193.

Consectaria huius doctrinae.

Posita autem animorum immortalitate, hoc nimirum consilio, vt ad maiorem in dies perfectionem et similitudinem cum Deo euehantur (§. 87.), sequitur etiam *primum*, summa continuitate iungi hanc vitam cum futura. Testes habemus scripturam sacram (Matth. XXII, 32. Luc. XVI, 25. XXIII, 43. Act. VII, 59. 2 Cor. V, 1 sq. 2 Tim. IV, 8.); analogiam experientiae, qua in omni rerum natura somni et quietis interuallum non nisi ad reficiendas vires poni videmus; et rationem ipsam, quae nullo temporis momento intercepto ad aeternam naturae nostrae perfectionem progrediendum esse iubet [a]). *Deinde* patet, animum cum sui conscientia, nisi particulari, vniuersali tamen, ideoque cum corpore, animi receptaculo qualicunque, quod numine prouidente inibit, exuuiis hisce mortalibus fore superstitem [b]). A mentibus enim finitis spatii limites, ideoque etiam corporatae naturae separari vix possunt [c]); animus ipse sine sensibus se intelligere nequit [d]); sine intelligentia autem et conscientia sui culpae atque meriti cogitatio, proptereaque etiam felicitas vel infelici-

tas mundi futuri locum habitura non esset *e*). Neque in uniuersum mens libera, si fati foedera rumpat, cogitari potest sine *sensu sui*, a quo pristini status recordatio omnino separari non potest (Luc. XVI, 28.) *f*).

a) Sunt aliquid manes, letum non omnia finit, *Luridaque euictos effugit umbra rogos. Propert.* l. IV. eleg. VII, 1 ss. *Butler* of personal Identity: in libro excitato, p. 357 ss.

b) *Reinhard's* Predigten v. Iahr 1805. Wie wenig das peinliche Gefühl in der Unermeſslichkeit des Allgemeinen verloren zu gehen, wahre Christen beunruhigen soll. Nürnb. und Sulzbach. Th. II. 1806. Predigt XXX. *Sollten Persönlichkeit und Vergeltung wirklich nach dem Tode aufhören?* Gegen Wieland's Euthanasia von *Schreiter*, in der Zeitschrift für Prediger von *Schott* und *Rehkopf.* Leipzig 1812. B. III. p. 460 ss. *De Wette* über Religion und Theologie. Berl. 1815. p. 24.

c) Vide sententias veterum de corpore animae post mortem, in *Cudworthi* system. intell. ed. Ienens. p. 1929 sq. et in contrariam partem loca indicata a *Mellino*, Wörterbuch der kritisch. Philosophie, t. IV. p. 89 sq.

d) *Ciceronis* quaest. Tusculan. lib. I. c. 22 sq. *Alexandri Baumgartenii* metaphysica, ed. 3. §. 786 sq. *Leſsii* opuscul. theologici et homiletici argumenti, tom. I. pag. 236 sq. tom. II. pag. 337. *Herder's* Ideen, Th. I. B. 5. *Dedekind's* Dokimion. Hannover 1797. pag. 139 sq. *Platner's* Aphorismen, ed. 2. tom. I. p. 627 sq. *Tranz's* Versuch einer Rechtfertigung des Glaubens an die Fortdauer der

Persönlichkeit nach dem Tode. Tübingen 1807. Elpizon I, 36 ss. ed. 3.

c) Video egregie hac de re monuisse nonnulla *Athenagoram* de resurrectione mortuorum (fine) contra gentiles quosdam, qui animam, amissa sui conscientia, post mortem in ventos resolui (ἄιστος ψυχὴ πεπότηται ἐς ἠέρα. *Quintus Smyrn.* VII, 41. XI, 142 s.) somniauerant. Alia tamen vmbrarum vel apud Homerum et Virgilium est conditio: Agrippina certe, a Nerone trucidata, diserte monet apud *Senecam: Manet inter vmbras impiae caedis mihi semper memoria* (Octau. v. 598 s.). Pariter manes apud Ossianum non desperant de amicis olim reuisendis (*Fingal* übersetzt von Denis. Wien 1768. I, 103.).

§. 194.

Doctrina de resurrectione corporis illustrata.

In *resurrectionis* doctrina (§. 190 s.) denique multa sunt, quae acriorem rei indagationem requirant. Certum enim est *primum*, institutionis de corporis mortuorum olim excitandis originem vix diuinam esse, sed hanc fidem ex Aegypto, Persia et Chaldaea in religionem Iudaeorum (§. 188 s.) irrepsisse (Act. XXVI, 6.) [a]), et apud plures alias, easque remotissimas gentes deprehendi, quae animos ad puriorem immortalitatis doctrinam nondum erexerant [b]). *Deinde* Iesus in locis, quae huc spectant, omnibus (§. 188.), inprimis in loco diserto (Ioh. V, 25—28.) de resurrectione corporis allegorice magis, quam proprie, verba facere,

et Paulus ipse in locum pharisaicae, quam proposuerat (1 Cor. XV, 42 sq.), sententiae meliorem substituere videtur (2 Corinth. V, 1 sq. Phil. I, 23. 2 Tim. IV, 7 sq.) [c]). *Postremum* obseruandum est, doctrinam Messianam de resurrectione corporum non solum tempore apostolico (Act. XVII, 32. 1 Cor. XV, 12. 2. Tim. II, 17.), sed aeuo adhuc sequiori plurimos, eosque acutissimos semper aduersarios inuenisse [d]).

a) *Zendavesta* im Kleinen, von *Kleuker*, part. II. p. 129. *Stanleii* historia philosophiae Chaldaicae, cap. X. sect. 2. Stoicorum homines rediuiui: in *Thomasii* dissertatt. ad historiam Stoicae philosophiae facientibus. Lips. 1676. pag. 156 s. *Buhle's* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. Göttingen 1796. I, 38. 77. *Knorr* a Rosenroth synopsis libri Sohar cap. XI. in Cabbala denudata. Neque dubitauerim, Chrysippum etiam, cui *Lactantius* (de vita beata c. 23.) quandam huius doctrinae cognitionem tribuit, eam ex oriente hausisse. Vide *Origenem* contra Celsum l. V. ed. Spencer. p. 244 sq.

b) Graeci iam ab antiquissimis temporibus viderunt, exuuias mortales animo post mortem superstiti non amplius conuenire. Vide locum classicum apud *Homerum* in Odyss. l. XI. c. 218. 221. Nominauimus auctores recentiores in der wissenschaftlich-praktischen Theologie, p. 305. Adde loca sequentia in libris: *Ides voyage de Moscou à Chine*, dans les voyages au Nord. Amsterdam 1727. tom. VIII. p. 14. *Steller's* Beschreibung von Kamschatka, pag. 269. *Cranz's* Geschichte von Grönland, p. 380 sq.

c) Vide §. 194. et *Eichhorn's* Bibliothek der biblischen Literatur, tom. VII. p. 978 sq. In alia abit *Moshemius* in dissertatione, qua docetur, seruatorem nostrum Iesum Christum resurrectionem mortuorum corporum, qualem Christiani credunt, ex tenebris in lucem reuocasse; *dissertatt. ad. hist. eccles. pertin.* vol. II. p. 573 sq. et auctor *anonymus* in *Städlin's* Beiträgen zur Geschichte der Religion, t. II. p. 93 sq.

d) *Epiphan.* haeres. XXII. contra Marcionitas, §. 4. *Minucius* Felix, c. XI. *Tertullian.* apologet. c. 48. Conf. *Kortholti* paganus obtrectator, p. 145 sq.

§. 195.

Continuatio.

Neque ista minima est difficultas, quae a corporis nostri, quotidie mutandi [a]), post mortem solutione et transfiguratione in alia corpora, partim iterum humana, sumta est [b]). *Quid quod* ipsae literae sacrae docent, animam post mortem statim nouis sensibus, organis, ideoque et corpore instructam vitam in mundo futuro degere veram et efficacem (Matth. XXII, 31. Luc. XVI, 22. XXIII, 43. Phil. I, 23. 1 Petr. III, 19. Apoc. VI, 9—11.), qua nouo in domicilium suum terrestre reditu felicissime carere possit [c]). *Postremum* sententia ecclesiastica, quae corporis mortui cum anima coelesti coniunctionem vrget [d]), non omnipotentiae solum diuinae diffidere videtur, sed quaestionibus etiam variis, iisque curiosis [e]) viam sternit, quibus doctrina purior facile supersedere poterit.

a) *Halleri* elementa physiologiae, tom. VIII. p. 2. p. 63. Bernae 1766. 4. *Herder's* Ideen, tom. II. p. 88 sq. *Elpizon* I, 29 ss.

b) *Grotius* de veritate religionis Christianae, lib. II. §. X. *Jacob's* allgemeine Religion, p. 217. De ossiculo לוז, ex quo Iudaei corpora olim instaurarum iri putant, vide *Eisenmengeri* entdecktes Iudenthum, t. II. p. 930 sq.

c) *Schoettgen* hor. hebraicae ad 2 Cor. V, 1. M. *Opuscula theologica*. Erlang. 1793. p. 90 sq.

d) Πᾶν γὰρ τὸ πῖπτον ἀναστάσεως δεῖται· πίπτει δὲ οὐχ' ἡ ψυχὴ, ἀλλα σῶμα. *Epiphan.* haer. XXII. vel. XLII, §. 5.

e) *Bayle* dictionaire historique et crit. voc. *Barcochebas* not. K. *Augustinus* de ciuit. D. lib. XXII. c. 13. quem omnino vide. *Hieron.* ep. XXVII. ad Eustochium virginem (opp. edit. Francof. I, 116 s.), ep. LXI. ad Sammachium (II, 119.), quae crassioris fidei sunt. Confitetur enim ibi aperte: *resurrectionis veritas catholicae sine carne et ossibus, sine sanguine et membris intelligi non potest. Vbi caro et ossa et sanguis et membra sunt, ibi necesse est, vt sexus diuersitas sit. Vbi sexus diuersitas est, ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria.* Quae quam longe recedant a mente apostoli (1 Cor. XV, 50.), commemoratione non eget.

§. 196.

Conclusio.

In tanta autem argumentorum grauitate mirari haud subit, iam a primis inde temporibus fuisse

inter Christianos, qui ταυτότητα corporis visibilis e puluere in vitam redituri in dubium vocarent, animosque post mortem nouis inuolucris a Deo indutum iri statuerent [a]). Iuuat tamen monere, fidem resurrectionis recte intellectam bene defendi posse, dummodo animaduertas, hanc doctrinam esse metamorphosis organicae post mortem laetissimam imaginem (1 Cor. XV, 36.); cardinem rei versari in transfiguratione (ib. v. 51.) ad formam sublimiorem (v. 44.) e substantia (quam ἐντεριώνην adpellauit *Origenes*) huius corporis (v. 37.), animali, hoc est vitali (v. 39 ss.); hanc transformationem in singulis post fata statim euenturam (2 Cor. V, 1—9. Phil. I, 23.) et sub finem mundi in resurrectionem vniuersalem (2 Cor. V, 10.) abituram esse [b]). Est igitur summa huius doctrinae: continuitatem credi huius vitae atque futurae qua mentem et formam vitalem atque hanc transfigurationem Christi beneficio deberi (Ioh. XI, 25.) [c]) Quae praeterea e Chaldaeorum, aut Pharisaeorum scholis adduntur, auctoritate diuina neutiquam pollere, ideoque etiam vltra allegoriarum vmbras adsurgere non videntur [d]).

a) Vide, quae post Gnosticos et Origenem hac de re iam disputauit Philoponus Alexandrinus, apud *Cauium* in *scriptorum ecclesiasticorum historia literaria.* Oxonii 1740. tom. I. p. 567. *Fabricii* syllabus, p. 706 ss.

b) *C. C. Tittmann* de resurrectione mortuorum beneficio Christi: in opusc. theol. Lips. 1803. p. 469.

c) „Ohne Wiederbeleibung kann keine Fortdauer der Seele als Einzelwesen gedacht werden." *Schleiermacheus* christl. Glaube, B. II. p. 657. M. Predigt: *Von dem Einflusse, den die Sittlichkeit unseres Lebens auf das endliche Schicksal unseres Körpers hat.* Magazin für christl. Prediger. B. II. St. I. S. 208 ss. Neque aliena sunt, quae post *Stahlium* (theoria vera de re medica) et *Kantium* naturae conuenienter monentur de continua metamorphosi hominis organica a mentis efficacia et virtute suspensa, in libro bonae frugis plenissimo: *Carus* Grundzüge der vergleichenden Anatomie und Physiologie. Dresden 1828. B. I. S. 14.

d) M. *wissenschaftlich-praktische Theologie*, pag. 307 sq. *Eckermann's* Handbuch, III, 688 sq. *Wegscheideri* institutt. theolog. christ. dogmat. §. 194 s. *De Wette* über Religion und Theologie. Berl. 1815. p. 214 s. *Bretschneider's* Handbuch der Dogmatik, B. II, 395 ss.

SECTIO II.

DE

SORTE HVMANA POST MORTEM EXSPECTANDA.

§. 197.

Doctrina biblica de iudicio post mortem futuro.

Antiquissimis Hebraeorum temporibus doctrina de iudicio numinis et inferis metuendo, nisi

ignota, incerta tamen fuit et ambigua (Hiob. XVIII, 14. XXVI, 5 sq. Psalm. VI, 6.). Sub exilii Babylonici tempora demum, postquam natio Israëlitica multas ab ethnicis vexationes perpessa erat, Hebraeorum vates minantur, fremendum adfore diem Iehouae, quo de populi sui tyrannis grauissimas poenas sumturus esset (Ies. XXXIV, 1—8 sq. LXV, 17. LXVI, 22. Ioel. III, 17. Malach. III, 2. Dan. VII, 9 sq. 22. 27. Iudith. XVI, 20 sq. Sap. Salom. III, 8.) [a]. In libris N. T. doctrina de iudicio diuino, quod hominibus instat omnibus, a Iesu ita proponitur, vt *primum* virtutem praemio diuino nunquam destitui, malitiam sibi vbicunque poenam esse doceat (Matth. VIII, 11 sq. Luc. XVI, 22 sq. Ioh. III, 17 sq. V, 30. XII, 46.); *deinde* iudicii Messiani typo atque allegoriis vtatur (Matth. XVI, 27 sq. XXV, 31 sq.), piis coelestis regni gaudia promittat (Matth. XXV, 33.), impiis flammarum inferni supplicium aeternum comminetur (ibid. v. 41. Marc. IX, 48.) [b]. Ad hanc synedrii coelestis formam apostoli doctrinam de iudicio Dei post mortem exspectando adumbrauere omnes (Act. XVII, 31. 2 Cor. V, 10. 2 Petr. II, 4.). Adfuturum esse Messiam cum archangelo et tuba (1 Cor. XV, 52.) ad mortuos excitandos, mutandos et iudicandos; orbe terrarum flammis consumto, nouum coelum terramque conditum iri (2 Petr. III, 12 sq.); electos perpetua Dei Iesuque societate fruituros (1 Thess. IV, 17.), impios ad perniciem aeternam abituros esse (2 Thess. I, 9.) [c]. In-

terea iam monitum esse legimus a Petro (2 ep. I, 16.), hanc doctrinam aeuo apostolico allegoriis multis inuolutam fuisse [d]).

a) Circa idem tempus etiam Graecis innotuit de iudicio quodam extremo: vide *Pfanneri* systema theol. gentil. purioris. Basil. 1679. p. 445 ss. et *Thomasii* exercitationem de Stoica mundi exustione. Lips. 1676.

b) Cf. similem orci descriptionem in *Hesiodi* theogonia, v. 720 ss. et in *Dantis* inferno. Singularis Tartari delineatio historica, qua aegre caremus in theologia puriori, adhuc desideratur.

c) Neque Titanibus apud *Hesiodum* patet exitus: τοῖς δ' ὀυκ ἐξιτόν ἐστι. Theog. v. 732. Noli itaque mirari, apud Muhamedum etiam impios flammis aeternis comburi. *Coran.* sur. II, 39.

d) *Eisenmenger's* entdecktes Iudenthum, II, 950 sq. *Schoettgen* de synedrio coelesti, in horis hebr. et talm. tom. I. p. 1225 sq. Beschreibung des Weltgerichts nach dem Talmud, in *Schmidt's* Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. tom. II. part. I. p. 72 sq. M. *biblische Theologie*, tom. III. p. 264 sq. *Eckermann's* Handbuch, III, 694 sq. Egregie hac de re iam in uniuersum disputauit *Bulangerus* in libro: L'antiquité devoilée par ses usages. Amsterdam 1766. p. 246 s.

§. 198.

Doctrina ecclesiastica de iudicio extremo.

Ex locis hisce omnibus prodiit doctrina ecclesiae: post iudicium *particulare*, quod homini

cuiuis in agone mortis instat, adhuc exspectandum est iudicium *extremum*, idque vniuersale (Act. XVII, 31. Rom. II, 5 sq.), quo filius Dei secundum vtramque naturam (Ioh. V, 27.), administris tamen angelis (Matth. XXV, 31.), apostolis (Matth. XIX, 28.) et sanctis omnibus (1 Cor. VI, 2 sq.), ad normam doctrinae coelestis (Ioh. XII, 48. Matth. XXV, 31.) sententiam pronuntiabit de angelorum (1 Cor. VI, 3. 2 Petr. II, 4. Iud. 6.) et hominum (Matth. XXV, 32. 2 Cor. V, 10.) sorte futura. Tempus huius iudicii ignoratur (Matth. XXIV, 36.); locus eius erit in regione inter coelum terramque media (1 Thess. IV, 17.); signa iudicii adpropinquantis erunt praedicatio euangelii in terra vniuersa (Matth. XXIV, 14.), reuelatio Antichristi (2 Thessal. II, 3.), et prodigia in terra coeloque varia (Matth. XXIV, 29.).

Melanchthon de resurrectione mortuorum in loc. theol. p. 580 sq. *Quenstedt*, tom. II. p. 1798 sq *Schottii* commentarius in sermones I. C., qui de reditu eius futuro ad iudicium agunt. Ienae 1820.

§. 199.

Continuatio.

Distingui autem debet in hoc iudicio vniuersali *primum* causae cognitio (Matth. XXV, 35. 42. 1 Corinth. IV, 5.), *deinde* sententiae publicatio (Matth. XXV, 46.) et executio (ibid.). *Piis enim et electis dabit Christus vitam aeternam et*

perpetua gaudia; impios autem homines ac diabolos condemnabit, vt sine fine crucientur [a]). Peractum iudicium sequetur finis seculi et consummatio mundi per ignem (Psalm. CII, 27. 2 Petr. III, 7. 10.), ita, vt omnis rerum vniuersitas, angelis tamen et hominibus exceptis, aboleatur et in nihilum redigatur (Apoc. XX, 11. Luc. XXI, 33. Ies. XXXIV, 4.), idque hunc in finem, ut Dei gloria manifestetur (1 Cor. XV, 24.), fideles liberentur (Luc. XXI, 24.), et impii condamnentur (2 Petr. II, 9.) [b]). Damnantur ceterum ii, qui non solum poenarum infernalium finem futurum esse statuant, sed fanaticis etiam opinionibus de regno mille annorum (Apoc. XX, 4.) et Christi aduentu ante iudicium extremum sperando faueant.

a) *August.* conf. art. XVII. de Christi reditu ad iudicium. *Leibnitii* Theodicea, §. 266 sq. *Crusius* Moraltheologie, t. I. pag. 72 sq. *Lessing's* Beiträge zur Geschichte und Literatur. Braunschweig 1773. I, 201 ss. *von den ewigen Strafen.*

b) *Eusebius* in praepar. euangel. l. XV. c. 18. *Calixtus* de iudicio extremo, edit. 2. Helmst. 1658. *Quenstedt*, tom. II. p. 1840. *Burnet* theoria telluris sacra. Lond. 1689. *Sherlok* vom iüngsten Gericht. Lübeck 1717. Conf. auctores ab *Heumannio* ad Cor. VI, 2 sq. excitatos.

§. 200.

Illustratio critica doctrinae de iudicio extremo.

In hac autem doctrina, quamuis multa insint, quae animum metu salutari corripere et Deum, tanquam iudicem forensem oculis quasi obiicere possint, nonnulla tamen occurrunt, quae vlteriori expositione indigere videantur. *Primum* enim negari nequit, institutionem de iudicio humani generis adspectabili, olim exspectando, a Mose et Dauide ignorari, et a vatibus Hebraeorum, vindictam aduersus paganorum tyrannidem (3 Maccab. VI, 7.) spirantibus, demum propositam et exornatam esse [a]). *Deinde* clarum est, Iesum, qui typum doctrinae de iudicio Messiano hebraicum non plane repudiauit (Matth. XXV, 31 sq.), aliis tamen in locis de reditu suo ambigue disputare (Matth. X, 23. XVI, 27. XXIV, 3 sq.), et plebeias hac de re sententias in melius corrigere (Ioh. III, 18. V, 25. 30. XVI, 11.) [b]). Ad apostolos *autem* quod attinet, constat tandem, eos cum Christianorum ecclesia primaeua in vniuersum sibi talem de reditu Christi proxime exspectando induisse persuasionem (Rom. VIII, 19 sq. 1 Thess. IV, 15. 2 Cor. V, 3.), cui exitus proprie non responderit [c]).

a) Theologie des alten Testaments. Leipzig 1796. pag. 296—319. M. biblische Theologie, t. III. p. 266 sq.

b) *Des-Côtes* Schutzschrift für Iesum von Nazareth. Frankf. 1797. p. 355 sq. *Heilmanni* dogm. §. 418. *Elpizon* II, 185 ss.

c) Biblische Theologie des N. T. 2ter Band. Leipzig 1801. p. 302 sq. 3ter Band. p. 284 sq.

§. 201.

Continuatio.

Adde, quod plura inueniantur N. T. loca, quae hominem post mortem statim iustissimam iudicis sententiam manere doceant (Luc. XVI, 22 sq. XXIII, 43 sq. Actor. VII, 59. 2 Cor. V, 8. Hebr. IX, 27. Apoc. XIV, 13.) [a]); qua semel promulgata, quomodo nouo iudicio opus sit, non facile patet. Neque *postremum* silentio premi debet, exspectationem iudicii extremi atque Messiani a primis inde Christianae ecclesiae temporibus variis iisque curiosis, partimque fanaticis quaestionibus ansam praebuisse, animosque hominum metu et superstitione inani suspensos tenuisse [b]). Iuuabit itaque, in puriori religionis institutione praesertim vrgere *doctrinam Iesu Christi* (Ioh. III, 17—21.) *de iudicio diuino homini, ab exuuiis praestigiisque mortalibus liberato, post mortem statim in iustissimo rerum ordine* (Rom. II, 12 sq. 2 Cor. IX, 6. Gal. VI, 8.) *subeundo* proptereaque *continuo* et *non nisi ultimo humani generis die finiendo* [c]), ita tamen, vt ea, quae literae sacrae tum de iudicio vniuersali et adspectabili (Matth.

XXV, 31 ss.), tum de fine mundi, et planetae nostri in specie tradunt (2 Petr. III, 10. 14.), ad pios sensus excitandos subinde proponantur [d]).

a) His itaque locis plane aduersatur singularis *Lactantii* sententia, *animas post mortem non statim iudicari, sed in vna et communi custodia detineri*: instit. diu. l. VII. c. 21.

b) Vid. *Minutii Felic.* Octav. cap. XI. *Lactantii* de vita beata, cap. XIV. *Cyrilli* Hieros. cat. XV. §. 12. *Lutheri* opp. t. XXII. p. 1973. Addatur *Craigius* in principiis theologiae Christianae mathematicis. Londin. 1699. 4. recus. opera *Titii*. Lips. 1755. *Michaelis* Dogmatik. Gotting. 1784 p. 737 sq. Conf. etiam locum memorabilem in *Capitolini* Antonino philosopho, cap. XIII. Ipse Polyc. *Leyserus* annum 1592. *vltimi* seculi esse putauit; epist. dedic. *Chemnitii* locus praefixa. Francof. 1599. t. III. fin.

c) *Kant* vom Ende aller Dinge in opusc. edit. Tieftrunk, t. III. pag. 509 sq. M. wissenschaftlich-praktische Theologie, §. 299.

d) De exustione mundi secundum Heraclitum (*Krug's* Geschichte der Philosophie alter Zeit. Leipzig 1815. p. 126.) et Stoicos vide *Thomasium* l. c. *Zachariam Mitylenaeum* de mortalitate mundi a Barthio editum cum Aeneae Gazaei dialogis. Lipsiae 1655. *Ocellum Lucanum* ed. d'Argens. Berl. 1762. §. 4. pag. 12 ss. *Kant's* phys. Geographie von *Rink*, tom. I. p. 235 sq. *Dessen* Naturgeschichte des Himmels, c. VII. *Bode's* allgemeine Betrachtung über das Weltgebäude, p. 198 sq. Die merkwürdigen Belehrungen des Christenthums über das Ende der Welt: in m. Religions-

vorträgen im Geiste Iesu. Göttingen 1809. III, 113 ss. *Tzschirner* vom Untergange der Welt, in s. Predigten. Zweite Sammlung. Leipz. 1816. p. 121 ss.

§. 202.

Illustratur doctrina de poenis damnatorum.

Pluribus adhuc difficultatibus laborare videtur doctrina ecclesiastica de sorte damnatorum, qua cruciatus flagitiosorum, qui sine fide ex hoc mundo discesserunt, morales flammis adhuc ignis infernalis, iisque aeternis (Sap. Sal. IV, 18. V, 16.) augendos esse sumitur [a]). *Primum* enim monuerunt, homines plane corruptos atque facinorosos nuspiam deprehendi, plerosque enim intra vulgares mediocritatis limites contineri [b]); *deinde* quaeri posse, numne ea, quae in libris sacris de orco et Gehenna occurrunt (Matth. V, 22. XXV, 41. 2 Petr. II, 4. Iud. 6.), non in vniuersum magis ad Iudaicas notiones, quam ad ipsam euangelii doctrinam referri debeant [c])? *Praeterea* haud desunt loca, quae, maxime in tam ambigua vocis *αἰώνιος* significatione (1 Chron. XXIV, 25. 2 Chr. XX, 8. Kohol. I, 4. Matth. XIII, 49. ep. Iud. 7.), spem reditus ab inferis omnem haud plane irritam esse doceant (1 Petr. III, 19. IV, 6.) [d]). *Neque* praetermitti debet, hanc esse peccati in ordine rerum morali naturam, vt non aberratione et miseria sempiterna, sed, excusso semel impietatis

errore, reditu ad mentem meliorem finiat (Ezech. XVIII, 21. 28.) [e]).

a) *Pfanneri* systema theologiae gentilis, p. 460 ss. qua late pertractat locum de coelo et inferno. *Buddei* institut. theol. dogmat. pag. 483 sq., quo loco historia etiam huius doctrinae antiquior continetur.

b) *Phaedon* von Mendelssohn. Fünfte Ausg. von Friedländer. Berlin 1814. p. 139 ss. *Kant's* Vorlesungen über die Metaphysik, p. 254 ss. Gedanken einer frommen Gräfin. Quedlinburg 1822. p. 106 s.

c) Monita *Origenis*, qui ipsos beatos iterum ad vitia delabi posse statuit: *Huetius* in Origenianis, l. II. c. 12.

d) *Eisenmenger's* entdecktes Iudenthum, t. II. pag. 322 sq. Neque contulisse poenitebit, post Platonicam orci adumbrationem, *Luciani* necromantiam, cap. XIV sq. *Plutarchum* de sera numinis vindicta (opp. edit. Reiskii, VIII, 243 ss.) et *Cyrillum* Alexandrinum in homil. diuers. vltima (opp. ed. Auberti Paris, t. V. p. II. pag. 404 sq.), quae graphicam orci Christiani descriptionem continit.

e) Ἐκολάζοντό τε πάντες, καὶ μετεμέλε πᾶσι τῶν τετολμημένων. *Lucian.* l. excit. *Plutarchus* l. c. p. 237.

§. 203.

Continuatio.

Quae cum ita sint, dissimulari *praeterea* nequit, poenae peccatorum, quae tenui vitae huma-

nae spatio continentur, *aeternitatem* cum iustitia diuina secundum ipsum talionis ius diuinum (Exod. XXI, 23 sq.) aegerrime componi posse. Ipsius *enim* animae natura ita comparata est, vt exuuiis suis liberata a flammis externis cruciari nequeat [a]), nisi corpus et tormenta huic supplicio idonea a Deo olim parari damnatis temere finxeris [b]). *Postremum* experientiam testem habemus, poenarum infernalium metum, si nonnullos etiam a scelere reuocare possit, alios a puriori tamen numinis et virtutis amore auertere, animos saeuis dubitationibus exercere et ad ipsam salutis desperationem procliues reddere [c]). Sufficiet itaque, adquiescere in doctrina *de poenis diuinis, peccatoribus secundum talionem iustissimam post mortem infligendis* (Rom. II, 6 sq. Gal. VI, 8.), ita tamen, *vt ad dignitatis moralis iacturam, conscientiae morsus, et reliqua scelerum consectaria interna inprimis respiciatur* [d]). Ad durationem autem horum suppliciorum quod attinet, Lactantii sententiae non refragabimur, *iram diuinam manere in aeternum aduersus eos, qui peccant in aeternum; eos, qui peccare desinant, iram Dei moralem facere* (1 Petr. IV, 6.) [e]). Plura qui huic sententiae addiderit, circumspiciat caute, ne gratiae euangelicae aestum Iudaicum admisceat iam a Muhamedo sapienter temperatum [f]).

a) Ὀυδὲν ἐστιν ὑπόλειμμα σώματος τοῖς τεθνηκόσι τιμωρίας.

Plutarchus de occulte viuendo in opp. ed. Reisk. X, 647.

b) Id quod fecit *Augustinus* de ciu. Dei, l. XXI. tot. Alii finxere nouos Procrustae lectulos, quibus impii clauis ferreis iisque ardentibus infigantur (*Chateaubriand* les Martyrs. Paris 1809. l. VIII. t. I, 257.).

c) Vide locum egregium in *Rousseauvii* libro: *Emile*, l. IV. ed. Bipont. p. 51 sq.

d) *Reinhard's* Predigten im Iahre 1799. B. II. S. 368. *Die künftige Entscheidung unseres ewigen Schicksals.*

e) *De ira diuina*, c. XXI. Conf. *Calou.* X, 797 ss. et commentatio *de duratione poenarum infernalium*, in opusc. m. theolog. Erlang. 1793. pag. 110 sq. *Elpizon* an seine Freunde. Leipz. 1808. p. 238 ss.

f) *Fundgruben des Orients.* I, 150 s. *Suma* num. 11. 26.

§. 204.

Epimetrum.

Argumentis in utramque partem subductis videmus, omnia in hoc articulo redire ad quaestionem, numne vere impii et plane corrupti, quorum causa hic unice agitur, in altera vita emendari queant, nec ne? Nolimus hac de re leuiter iudicari; docet enim experientia, mentem humanam continuo flagitio adeo obbrutescere sceleribusque immergi posse, ut omnem Dei amorem sensim exu-

at et per gradus boni peragendi facultatem amittat [a]). Quemadmodum pii ita in summi boni desiderio sunt confirmati, ut praefracte peccare nequeant; ita etiam impii adeo in malitia sunt obdurati, ut omnem emendationem respuant (Ioh. III, 36. Matth. XII, 31. 1 Cor. III, 17. Hebr. VI, 4.), quare diabolo millenaria castigatio nihil profuisse dicitur ad resipiscendum (Apoc. XX, 7.) [b]). Absonum itaque esse videtur, precari, ut damnati saluentur; nostra enim humanitate omnino maior est gratia diuina, quae certissime refinget atque recreabit nocentes (1 Petr. IV, 6.), si per aeternae sapientiae et iustitiae legem fidei potuerit.

a) Qui in vitas hominum, tanquam in speculum, introspexerit, is videbit etiam, iracundos eo dementiae peruenire posse, ut furori resistere nequeant; voluptuosos, ut libidinem compescere nolint; sanguinolentos, ut humani sanguinis sitim explere neque possint, neque volint. Erinnyes autem quisnam dignas esse putet diuinae beatitatis consortio (2 Cor. VI, 15.)!

b) Vide *Eichhornii* commentar. ad h. l.

§. 205.

Illustratio doctrinae de sempiternis beatorum gaudiis.

De felicitate beatorum post mortem ita disputauerunt doctores, vt eos in coelo gloriae aliquando domicilium fixuros (Hebr. XI, 22.), corpore

nouo et splendido amictos (Matth. XIII, 43. Luc. XX, 36. 1 Cor. XV, 44.) cum Christo et angelis versaturos (Hebr. XII, 22 sq.), cognitione Dei intuitiua fruituros (1 Cor. XIII, 12 sq.) esse, arctissimo amoris diuini vinculo coniungendos (1 Ioh. III, 22.), statuant [a]). Quibus imaginibus dum animos haud sine spe dulcissima pascimus, admonemur simul, Iudaeos de vitae futurae gaudiis multa ex arbitrio commentos esse [b]); Iesum et apostolos temperare sibi non potuisse, quin hanc doctrinam ingenio populi sui adcommodarent (Luc. XXII, 30. Hebr. IV, 9. Apoc. XX, 4. XXI, tot.); Chiliasmum ecclesiae Christianorum primaeuae ex his fontibus prono alueo fluxisse [c]); et imaginationem in vniuersum in iis rebus facillime labi, vel in transuersum abripi, quae pura fide teneri et cognosci possunt [d]).

a) *Heumannus* de modo, quo visuri sumus Deum in vita aeterna; in sylloge dissertatt. Gotting. 1743. pag. 224 sq. *Buddei* theolog. dogmat. pag. 472 sq.

b) *Eisenmenger's* entdecktes Iudenthum, t. II. pag. 872 sq. *Wetstenii* obseruat. ad Luc. XXIII, 46. *Coranus* Sur. II, 25. *Storr* de vita beata post mortem in dissertatt. t. II. p. 75 ss. *Kantii* coelum philosophicum: Vorlesungen über die Metaphysik, p. 254 s. *Flüggii* libellus: der Himmel der Zukunft. Altona 1804.

c) *Irenaeus* aduers. haeres. l. V. c. 33. *Euseb.* histor. eccles. lib. III. l. 28. Refinxit istas fabulas inter recentiores *Swedenborgius*: Abrégé des ou-

vrages de Swedenborg. Stockholm 1788. de la felicité céléste, p. 352 s.

d) Vide *Odyss.* IV, 563 sq. *Platonem* (republ. l. X. p. 323 sq.), *Aeneid.* l. VI, 724 sq. et *Lucianum* (ver. histor. l. II. c. 5 — 13.), de vita futura copiose disserentem. Adde *Erasmum* in apotheosi *Capnionis* (colloq. ed. Amstelodam 1693. p. 167 ss.). *Meiner's* allgem. krit. Geschichte der Religionen, t. II. p. 764 sq. *Chateaubriand*, les martyrs, lib. II., qui poeticam paradisi descriptionem continet.

§. 206.

Continuatio.

Cauere itaque debent doctores, ne allegoriis de intuitione numinis (Matth. V, 8.) [a]), de coelesti domicilio, de laeta beatorum quiete, et perspicaci **παντοψυχογνωρισμῷ**, quo sumitur, beatos omnia, quae in hisce terris euenerint, in coelo, tanquam in speculo, visuros esse [b]), aliisque similitudinibus immorentur, quae neruos virtutis atque pietatis in animis auditorum magis remittere, quam intendere solent [c]). In promtu enim sunt sententiae certiores de puriori eaque sempiterna, quae iustos post fata maneat, felicitate; de libertatis eorum moralis, cognitionis, virtutis atque pietatis incremento in dies augendo [d]), de corporis noui, quo animus recipietur olim, praestantia; de societate cum Christo et coelitibus ineunda (1 Cor. XI, 40 sq. Phil. III, 14. 2 Tim. II, 5.); et de gradibus huius

felicitatis secundum merita singulorum demetiendae (Ioh. XIV, 2.) e). Neque silentio praetermitti debet sententia de consortio amicorum, qui sapientia, amore et virtute nobis coniuncti erant, in altera vita iterando (Ioh. XII, 26. XVI, 22. XVII, 24.) valde probabilis, quamuis non desint, qui hac de re sibi persuaderi plane non patiantur f).

a) *Fundgruben* des Orients, B. II. p. 110. Ipse bonus *Elpizon* (an seine Freunde. Leipzig 1808. p. 246 s.) somniare videtur, solem beatorum futuram sedem sibi praerepturus.

b) *Bellarminus* de sanctorum beatitudine, c. XX.

c) Loca Matth. V, 8. 1 Ioh. III, 2. Apoc. XXI, 3. imaginem continere, a Schechina numinis (Exod. XXIII, 18 sq.) desumtam verumque Dei conspectum promittere, dubitatione caret. Patet autem ex aliis locis (Ioh. I, 18. 1 Tim. VI, 16.), comparationem istam ad clariorem numinis cognitionem referendam esse. B. *Storr* de beata vita post mortem, §. V. in opusc. academ. Tubing. 1797. Vol. II. p. 106 ss.

d) *Orae ipsae locorum, quo peruenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum coelestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Ciceronis* quaest. Tuscul. I, 19.

e) M. *bibl. Theologie*, t. III. p. 285 sq. *Von der Aussicht auf die Freuden einer besseren Welt;* in meinen Predigten zur Beförderung eines moral. Christenthums, t. III. pag. 1 sq. *Ribbeck* vom Wiedersehen in der Ewigkeit. Magdeburg 1792. *Von dem Einflusse, den der Glaube an ein Wiedersehen in der Ewigkeit auf unsere Tugend hat;*

in m. christl. Religionsvorträgen, tom. I. edit. 2. Erlangae 1803.

f) Desinimus in locum hinc superstitiosorum commentis, illinc ὀλιγοπίστων dubitationibus atque incredulorum facetiis satis clarum. Veremur autem, vt causae suae patrocinentur, qui ad Homeri Odysseam, aut ad Luciani dialogos mortuorum prouocant, vt amicorum consortium post mortem redintegrandum impiorum sibilis exponant. Vtut enim facile subscribamus eorum sententiae, qui inter hunc mundum et futurum χάσμα μέγα ἐστηριγμένον esse putent (Luc. XVI, 26.), quo omne viuentium atque vita functorum commercium, quamuis cupida et vero audaci pietate desideratum (*Agathokles* von *Caroline Pichler.* Wien 1808. p. III. p. 301 ss.), plane intercludatur; in hanc tamen opinionem sumus procliues, generationum seriem continuam, iustae retributionis naturam, pii et germani amoris indolem, ipsumque regni diuini ordinem ad meliora aequabiliter progredientem spei dulcissimae de amicis olim reuisendis admodum fauere. Conf. *Döderlein's* Religionsunterricht, fortgesetzt von *Junge*, t. XII. p. 72 sq. et *Vogelii*, antehac collegae coniunctissimi, librum: *Glaube und Hofnung.* Norimb. 1806. p. 114 sq.

INDEX RERVM.

A

B

C

D

F.

M

T

U

TYPIS EXPRESSIT CAROLVS RAMMING DRESDAE.

